

Koffler

JOHANNIS KOFFLER
HISTORICA
COCHINCHINAE
DESCRIPTIO.

IN EPITOMEN REDACTA

AB

ANSELMO AB ECKART.

EDENTE

CHRISTOPHORO THEOPHILO DE MURR.

NORIMBERGAE,
APUD MONATH ET KUSSLER.
MDCCCIII.

Joannes Kofflerus a) Anselmo Eckarto.

Argumentum.

Refert breviter suum anno 1767 e Lusitania, et arce S. Juliani discessum, iter maritimum ac terrestre per Italiam, Germaniam, Bohemiam usque ad Transylvaniam.

Scribo nunc per compendium, quod alia occasione, si firma valetudo comes fuerit, fusius sequetur. Atque ut exordiar a meo cum 36 Sociis *Julianaeo* e carcere discessu, ante omnia commemorandum venit, nos quinque b) *Austriaci dominii* indigenas, quamprimum navim conscendimus *Danicam*, illico fuisse a caeteris separatos, hos inferiorem ad contignationem cum nautarum turba detrusos, nos vero in camera navarchi accommodatos, ubi et eumdem cum eo victum habuimus. Navigatio utcumque prospera; praeterquam quod a pirata *Algiriensi* visitati, atque idcirco ad moram quadragenariam *Genuae* trahendam fuerimus condemnati: pecunia tamen tempus hoc decurtavit, ita ut post sedecim dierum spatium ingredi portum nobis licuerit.

A 2 Socii

a) Fuit plures per annos Missionarius et archiater Regis *Cochinchinensis*, qui vocabatur *Duc-Thants-Thiong*.

b) Fuerunt reliqui quatuor, P. *Carolus Przikril*, Pragensis; P. *Jacobus Cotti*, Comensis; F. *Franciscus Follori*, et F. *Antonius Camicci*, ambo *Florentini*.

Socii ergo duo ac triginta aliam navim, nostrae ex condicto contiguam intrarunt, *Centum cellas*, *c*) ac inde *Romam* deducendi. Nos duo *Bohemi*, cum publico Imperatricis Reginae nomine *Genuae* residens a Republica transitum ejus per ditiones impetrare non potuerit, aliam per viam in regionem nostram sumus reversi. Celocem igitur conscendentes una cum tribus sociis *Italis* iter nostrum recta *Liburnum* usque suscepimus: quia autem ventus contrarius obstitit, portum *Vio-Regiensem* intrare sumus coacti, ubi relictis nostris sarcinulis, via terrestri veredis usi *Pisas* pervenimus, posteraque die *Liburnum*: hic nostro in Collegio tres Socii *Itali* remanserunt, nos accepto *Genuae* cambio ad mercatorem loci directo, aurigam *d*) *Viennam* usque conduximus. *Florentiae* apud Magnum Ducem, Serenissimamque conjugem ultra horam alloquium perquam gratiosum habuimus. Inde *Bononiam*, *Ferrariam*, *Patavium*, *Forum Livii*, *e*) *Clagenfurtum* tendentes, viginti intra dies feliciter *Viennae* adfuimus.

Augustissima Domina nostra Patrum de adventu certior facta, die mox subsequente nos jussit introduci. Aderat Augustissimus Imperator, cum Serenissimis Archiducibus *Maria Anna*, *Christina*, et Principe *Alberto*. Sermo duas per horas protractus. Quid tunc dictum, et interrogatum fuerit, quaestiones potissimum movente Imperatrice, praesens pagella non capit; hinc ea enarrare supersedeo. Non minus gratiosi fuerunt praecipui Aulae Ministri, Principes de *Kaunitz*, et *Lichtenstein*. Voluerat quidem Augusta, ut aliquot per hebdomades Viennae remaneremus, vires reficeremus, dignaque visu perlustraremus: at quia 15ta Octobris intervenerat mors Archiducis

c) Cività vecchia.

d) Vetturino.

e) Forlì.

eis *Josephae*, Regi *Neapolis Ferdinando* desponsae, ob Aulae luctum satius nostram ad Provinciam pergere duximus, ubi variis in Collegiis detenti, 10. Novembris *Pragam* intravimus.

Aderat tum *Clementino* in Collegio Provincialis, a quo P. *Carolus Przikril* missus est *Reginogradecium*, *f*) instructorem Patrum tertiae Probationis acturus; ego autem *Litomericium*, *g*) Praefectus ibi Spiritus, et Praeses coetus Agoniae futurus, ubi meus Kalendis Decembris erat adventus. Cumque Princeps *Lichtensteinius* a me *Viennae* degente peteret, ut mox ei designationem meam et loci, et officii communicarem, id quod fueram ipsi pollicitus, promissis meis stare debui, omniaque, mihi quae acciderant, fideli calamo perscripsi.

Elapso aliquot dierum spatio, binae mihi redduntur epistolae, altera Principis supra memorati, *Augustae* altera, exarata manu Lib. Baronis de *Buchler*, qui erat ab epistolis Majestatis Caesareo - Regiae. Epitome litterarum exstitit facultas, valetudinis meae statum subin Reginae significandi. Transcribo ipsa verba: *Seine Majestät erlauben gnädigst, dass sie von ihrem wohlseyn einige nachrichten von zeit zu zeit hieher mittheilen können &c.*

Vix dies quatuordecim abierant, jam alteras ab Imperatrice literas accipio, quibus significat, se Missionem quamdam in *Transylvaniam* inducere velle, gratissimumque sibi fore, sacro huic oneri humeros si subjicerem. Me promptissimum esse, reposui, ad eundum non modo hanc in regionem, sed in quemcunque alium locum, quo me

f) Königingrätz.

g) Leutmeritz.

me destinare placuerit, me pro Majestatis suae obsequio, salute proximi, Deique gloria non modo sudorem, sed et sanguinem lubentissime offerre, ut quodam saltem modo Clementissimae Patronae meae, cui liberationem a carceribus deberem, gratum me possem exhibere. Tertia demum adfertur epistola, *Transsylvaniensem* mihi stationem adsignans. Mira hac ratione divina, quam adoro, Providentia e *Bohemia* in *Daciam* h) me transtulit.

Viennam ergo 1768 denuo delatus, altera mox meo ab adventu die ad Augustissimam aditus patuit, qua cum sola ultra horam familiarem habere sermonem licuit. Quae gratia admodum frequenter (per sex enim menses ibidem substiti) est mihi concessa. Semel ipsamet Imperatrix me per omnia sua cubicula, etiam intima, deduxit, singula mihi monstrando et explicando: Ipsa praecesserat, fores et aperiendo et claudendo, ego sequebar. Porro nullum sane in Aula alloquium fuerat, in quo non Majestati suae *Societatem* nostram commendassem, et pro redemtione captivorum *Julianaea* in arce Sociorum efficaciter perorassem: at Ipsa semper respondit: *Mein lieber Pater, seye er nur ohne alle Sorgen; so lang Ich lebe, habt ihr euch nichts zu fürchten, und dem Lebzelter i) hab Ich schon befehlen lassen, dass er wegen befreyung der armen Gefangenen sich ernstlich annehmen solle &c.*

Sub initium Septembris 1768 advenit novae Missionis socius mihi futurus, quocum 28va ejusdem mensis iter in *Transsylvaniam* sum adgressus. 21ma Octobris salvus et incolumis *Cibinium* k) adtigi. Nostra autem in Resi-

h) Scilicet *mediterraneam*, vulgo *Siebenbürgen*.

i) Fuit S. R. I. Eques et orator Caesareo-Regius *Lusitanam* apud Aulam.

k) *Transsylvaniae* metropolim, vulgari sermone *Szeben*, aut *Hermanstadt*.



JOHANNIS KOFFLER
HISTORICA
COCHINCHINAE
DESCRIPTIO.

IN EPITOMEN REDACTA

AB

ANSELMO AB ECKART.

EDENTE

CHRISTOPHORO THEOPHILO DE MURR.

NORIMBERGAE,
APUD MONATH ET KUSSLER.
MDCCCIII.

Hoc in quadro bina ſunt atria, quorum unum praebet patentem de die utrique ſexui publicum tranſitum. Quod onus fuit *Jeſuitis* impoſitum ex eo, quod civitas ad ampliandam hanc fabricam, iis partem integrae plateae conceſſerit: haec fuit dein adpellata *platea Jeſuitarum*, eſtque praecipua et prima a ponte, ubi parva ex urbe in antiquam pergitur. Atrium alterum hortulus occupat *Clementinus*, ſic dictus a fonte tribus e fiſtulis ſaliente. In medio eſt agnellus, ſub cujus pede aqua pariter proſilit. *s*) Sunt omnia juxta hydrauliae regulas dexterrime quadrato e ſaxo confecta. Atque ita primum hoc quadrum duodecim continet ambitus (non computando illum, qui a P. *Arriaga* nomen accepit, et ſolum ob aeternam tanti viri memoriam conſervatur) duo atria, totidem eccleſias.

Secundo in Quadro eſt triclinium, culina, cella penuaria; ſunt officinae ſartoris, ſutoris, arcularii, fabri ferrarii, veſtiarium, lineae ſupellectilis repoſitorium, ſacellum domeſticum, ubi centum nonaginta perſonae (tot meo numerabantur tempore) conveniebant; item valetudinarium, tria muſea majora pro Theologiae ac Philoſophiae Studentibus, bibliotheca, muſeum mathematicum, quod integrum occupat ambitum, idque tam celebre ab eximiis artis operibus, rebusque curioſis, ut nemo Regum, aut Principum *Pragam* tranſeat, quin illud ſibi monſtrari depoſcat: ſiquidem, dum ego ibidem eram, praeter *Carolum* VI, cum tota ſua aula, id videre expetierunt Rex et Regina *Poloniae*, filii et filiae Principes eorum Regii, Rex *Boruſſiae*, Cardinales tres, Princeps

Euge-

s) Alluſio eſt ad vitam iſtius S. Martyris ſub *Trajano Cherſoneſi* in ſolitudine exſulis, ubi legitur, quod illius meritis *Jeſus*, Agnus Dei verus ſub hujus ſpecie ei ſupra montem comparens fontem pellucidum pede'e terra elicuerit, ſitim tot Chriſtianorum, qui illuc damnati erant, extincturum.

Joannes Kofflerus a) Anſelmo Eckarto.

Argumentum.

Refert breviter ſuum anno 1767 e Luſitania, et arce S. Juliani disceſſum, iter maritimum ac terreſtre per Italiam, Germaniam, Bohemiam usque ad Transylvaniam.

Scribo nunc per compendium, quod alia occaſione, ſi firma valetudo comes fuerit, fuſius ſequetur. Atque ut exordiar a meo cum 36 Sociis *Julianaeo* e carcere disceſſu, ante omnia commemorandum venit, nos quinque b) *Auſtriaci dominii* indigenas, quamprimum navim conſcendimus *Danicam*, illico fuiſſe a caeteris ſeparatos, hos inferiorem ad contignationem cum nautarum turba detruſos, nos vero in camera navarchi accommodatos, ubi et eumdem cum eo victum habuimus. Navigatio utcumque proſpera; praeterquam quod a pirata *Algirienſi* viſitati, atque idcirco ad moram quadragenariam *Genuae* trahendam fuerimus condemnati: pecunia tamen tempus hoc decurtavit, ita ut poſt ſedecim dierum ſpatium ingredi portum nobis licuerit.

A 2 Socii

a) Fuit plures per annos Miſſionarius et archiater Regis *Cochinchinenſis*, qui vocabatur *Duc-Thants-Thiang*.

b) Fuerunt reliqui quatuor, P. *Carolus Przikril*, Pragenſis; P. *Jacobus Cotti*, Comenſis; F. *Franciscus Folleri*, et F. *Antonius Camicci*, ambo *Florentini*.

Eminet tertio in Quadro turris mathematica cum loco, ubi ſtellae obſervantur, in cujus apice *Atlas u*) ſtanneus capite ſuo ſphaeram coeleſtem ſuſtentat, inſigne universae civitatis ornamentum. Non minus eccleſia congrègationis *latinae* majoris tota auro et marmore fictitio refulget. Sequitur Gymnaſium quinque ſtudioſorum millibus adcommodatum, ampliſſimo cum atrio, ac tandem theatrum exhibendis pro dramatibus, et aula domeſtica, ubi ſic vocati *Actus parvi*, exercitiaque menſtrua cunctis a Facultatibus celebrantur: diſputationes enim majores magna in aula *Carolina*, tanquam Vniverſitatis Regia, quae hoc a Collegio mediam horam diſtat, habentur. Singulis annis quatuor e Facultatibus Rector magnificus alternatim ſeligitur, qui ordo dum tangit Theologicam et Philoſophicam, erat is ſemper, qui Collegio *Clementino* praefuit, quo caſu licebat ei ſejugi uti curru, alias quadriga tantum, ſicut caeteris regni Praelatis. Archiepiſcopus *Pragenſis* eſt perpetuus academiae Cancellarius, qui tamen nonniſi ſemel per annum publico in actu comparet, die ſcilicet octava Decembris, Virgini ſine labe conceptae ſacra, ad dicendum Sacramentum, idque omnibus ab Academicis excipiendum: quae functio eſt maxime ſolemnis, viſuque digniſſima. Quidam e Doctoribus Theologiae S. I. tunc ſolebat panegyrin dicere Marianam. Non pauca alia, quae Collegii hujus amplitudinem probant, omiſi, et ſunt repoſitorium ſacri Sepulchri, elegantibus picturis conluſtrati, quae ſecundum Dominicae Paſſionis myſteria quovis anno permutantur. Ad impenſas hunc in ornatum faciendas adeſt fundatio: Conditoria alia ſunt variorum coetuum, *Latini* et majoris et minoris, *Bohemici*, *Germanici*, juniorum opificum, *Italorum*, apotheca herbarum

u) Rex *Mauritaniae*, qui juxta fabulam humeris coelum ſuſtinuiſſe dicitur, quia primus curſum ſolis et lunae ſiderumque omnium deprehendit.

rum &c. Bibliotheca capit quinquaginta librorum millia; aetate mea jam quadraginta recensebantur, et illa de suo gaudet fundatore pro comparandis singulos per annos novis volumnibus. Constans fama est, silvam integram pro Collegii hujus aedificatione fuisse excisam. Qui *Romae* omnes aedium nostrarum ichnographias conspexerunt, domicilium isthoc omnium totius *Societatis* exstitisse maximum, fatentur.

P. JO;

P. JOHANNIS KOFFLERI, S. I.

COCHINCHINAE

DESCRIPTIO.

Historica Cochinchinae secundum modernum ejus statum Descriptio.

Hanc *Julianaeis* in catacumbis elucubravit 1766 a) *R. P. Joannes Koffler, S. J. Pragensis*, e provincia *Bohemiae*, Missionarius *Cochinchinensis* annis 14, e quibus septem simul aulico in servitio, Regis *Cochinchinae* agens Medicum b) traduxit. R. P. *Anselmus Eckart*, ejusdem Religionis e provincia ad Rhenum superiorem ac captivitatis ad ostia *Tagi* in *Lusitania* P. Kofferi p. m. Socius, Relationem istam subterraneis hisce e tenebris in lucem protulit; majore pro perspicuitate eam septem in capita, et haec plures in paragraphos divisit; ordinem, relicta historiae materia, paululum immutavit; complura contraxit; non pauca substituit; variis denique notis narrationem totam illustravit.

CAPUT I.

De Regno Cochinchinensi.

§. 1.

Regni incrementum.

Regnum *Cochinchinae*, olim dumtaxat ab originis vetustate ad memoriam posteritatis insigne (eamdem enim *Sinensi*

a) Eam ad me misit *germanice* scriptam, P. *Laurentius Kaulen*, Vlyssipone 1789, quam 1798 tradidi *Sandero*, Bibliopolae Berolinensi. *M.*

b) Vid. Diarii mei litterarii Tom. VIII, p. 250. P. *Koffler* cum P. *Carolo Przikril*, Missionario Goano, P. *Jacobo Graff*, Mission. Cochinchin. Superiore, et F. *Jacobo Müller*, (qui pharmacopolio Goae praeerat) A. 1767 libertate donatus fuit. *M.*

Sinensi cum imperio, cui vectigal solvebat, aetatem numerat) ab ultimis hisce sacculis est sane celeberrimum, usque adeo, ut, nisi gentilitatis oppressum tenebris jaceret, cuicumque regno *Europaeo*, tam quoad fertilitatem, opes, incolarum numerum, aurae salubritatem, situsque amoenitatem, quam quoad politicum gubernandi modum, legibus aequissimis conformem, posset comparari. Erat hoc suo in ortu tam exiguum, ut non nisi tres provincias, boream respicientes, sibi proprias haberet, easque tam dura conditione suas, ut Regulus eas possidens, si non, quod tributum, saltem quod *feudum* concernit, fuerit Regi *Tunquinensi* subjectus, qui eum ponebat, deponebat, suumque ad libitum omnia disponebat. Premebantur duo isthaec regna ultra modum tum pensione annua, tum aliis maxime iniquis vexationibus *Sinensi* ab Imperatore, aut ejus vicario, ut mutuum denique foedus inierint, ad *Sinarum* jugum (e quorum stirpe tamen oriundi erant) data occasione excutiendum. Quod et accidit eodem aevo, quo *Tatari* imperium *Sinense a)* invadere, et sensim occupare coeperunt: Etenim cum tunc *Sinae* (vis mali undique urgebat) formidabili *Tatarorum* potentiae resisterent, insula celebris, et praegrandis, dicta

a) Duae sunt aerae *Sinis* memorabiles. Altera est, annus 1280, quo *Tatari* in *Chinam* irruperunt, non obstante celebri illo muro, (quem duo ante *Christi* partum saecula, et amplius ab Imperatore *Chio* exstructum, 250 milliaria *germanica* complecti, adferunt) ibique 90 annorum spatio sunt dominati: altera annus est 1640, quo e provincia, quam *Catai* vocant, et vicino regno *Ninki* erumpentes, stabilem *Sinensi* in Imperio sibi sedem fixerunt. *Ninki*, aut *Ninche* (alio etiam nomine *Tenduc* nuncupatur sive *Chatchir*) est *Tatariae magnae* regnum, septemtrionem versus, *Sinae* finitimum. Populi *Tatariae* hujus orientalis *Bogdois* quoque nominantur.

cta *Haynän a)*, Regna *Tunquini*, et *Cochinchinae* sub idem tempus seditionem moverunt, his servantibus regni titulum, illa vero libertatis suae amantissima, Reipublicae nomen adsumente; quod etiamnum conservans, excusso imperii *Sinensis* dominatu, se solam gubernat.

Universa proin *Sinarum* ditione in *Tatarorum* potestatem redacta, cum et *Haynanenses*, et *Tunquinenses*, et *Cochinchinenses*, qui supremo suo a Principe defecerant, non nihil sibi metuerent, legationem expediverunt ad *Xuon-Sü*, primum *Tatarica* e natione Imperatorem, tam felici successu, ut iis quietam terrarum possessionem confirmaret, adjecta solum hac, conditione, ut quotannis in collati beneficii memoriam, gratique animi testimonium, certum quoddam auri pondus persolverent. Annuum hoc tributum nova haec Respublica aureis in placentis pendebat, duo autem regna aureo in asello, cujus caput *Cochinchina* tribuebat. Hac ratione annis compluribus mutua inter se pace, et amicitia vixerunt, donec regnum *Cochinchinense*, justissimis de causis irritatum, amicum foederis vinculum rescinderet, ac deinceps, reclamantibus frustra *Tunquinensibus*, regimen monarchicum introduceret.

Haec autem defectio ita accidit. Rex *Tunquini*, jam morti proximus, filium suum throni successorem declaravit. Is vero dum nondum ad praefixam hoc in regno aetatem pervenerat (quae annus est vigesimus) ejus educationem fratri suo, eidemque interea regni administrationem commisit. Iste, quippe homo ambitiosus, ut regnum sibi eo securius redderet, haeredem, tum fortassis septem, aut octo annorum, Regulo *Cochinchinae*

B 2 trans-

a) *Haynan* insula *Asiae*, montosa quidem, sed admodum foecunda. A fructu *Indienjäca*, qui totius mundi maximus esse, dicitur, cujusque cortex securi aperitur, est inclyta. Urbs insulae praecipua *Kiontchsow*, sive *Kiunchen*.

transmisit, ab eo educandum, dicens, se ob plurima regni negotia id commode praestare non posse; ipsum, quo primo tempore ad statutam a legibus aetatem pervenerit, a se revocatum iri, paterno in solio collocandum. At quomodo promissis suis steterit, mox videbimus.

Regno praefuerat magna cum astutia: ut praeprimis militum amorem sibi conciliaret, *Mandarinos a)* hos praefecit belliduces, quos aut sibi addictos novit, aut collata hac dignitate, sibi devinctos reddidit. Demum ubi Princeps ad maturam jam aetatem pervenerat, metuens, ne suis a subditis Rex salutaretur, quadam die, convocatis in aulam regni proceribus, juramentum fidelitatis ab iis exigens, invasit imperium, quin eorum aliquis vel hiscere auderet. Sic tyrannorum more, solium conscendendo, ita principatum gerere coepit, ut ab omnibus timeretur, solisque a militibus, quos summopere fovens, eorum insolentiis connivebat, aestimaretur.

Quae notitia ad aures Principis, ejusque Tutoris ubi pervenit, uterque temerario huic facinori sese opposuit, adclamantibus simul *Cochinchinensibus*, qui coronae haeredem filium, et non alium *Tunquini* Regem agnoscere volebant. Quoniam vero haec contradictio solemnis, etsi justissima, parum, aut nihil profuit, his idcirco armis erat dirimenda. Bellum ergo *Cochinchinensibus* indicitur. Credebatur, fore, ut hi, utpote viribus longe inferiores, non modo facile pristinum ab obsequium reducerentur; sed et Rex haereditarius insuper comprehensus, e vivis exturbaretur.

Cochinchinenses proin agnoscentes, se *Tunquinensium* multitudini comprimendae impares copias auxiliares a *Nigris*,

a) *Mandarinus*, idem est, ac *Eques Domini*; Nobilis *Tunquinensis*.

Nigris, regni *Ciampae a)* incolis expetunt, quas fideliter etiam praebuerunt. Hostilis interea exercitus advenit in decembri; (quinquaginta numerabantur hominum millia) grandem fluvium *b)* trajicit; provinciam primam, qua late patet, universam, rapidi torrentis instar, inundat. *Cochinchinenses*, ne venti contrarii inclementia oculos in conflictu offenderet, ad pedem montis castra metantur, relinquentes ad sinistram campum *uliginosum*, *c)* secundae provinciae adgressionem prohibiturum: licet autem numero valde fuerint dispares; (universe subsidiariis cum copiis duodecim erant millia) quia tamen et salus agebatur, et libertas patriae, tam strenue dimicarunt, ut mox primo in certamine hostes ad interpecionem deleverint, qui metu perculsi, fugamque *d)* capessentes, et annonam (commeatum bellicum haud exiguum) et sanguinolenta undique vestigia reliquere.

Reddita, hac ratione, Regno tranquillitate, ejusque Gubernatore paulo post defuncto, *Cochinchinenses* memoratum supra Principem, ac Regni *Tunquinensis* haeredem legitimum, Regem suum constituerunt, cujus posteri ad modernum usque *Cochinchinense* semper solium conservarunt. Unde liquet, eum, qui modo regia cum potestate,

te,

a) *Ciampa*, aut *Chiampa*, *Chiapad*, *Tsiompa*, exiguum *Indiae* regnum in peninsula ultra *Gangem* situm, mari orientali, ac deserto *Cochinchinensi* vicinum.

b) Flumen hoc *Soâ Giânh* compellatur, et limites regno utrique statuit. Cf. Th. *Bowyears*, *Rochons*, und *Robert Kirsops* Nachrichten von Cochinchina. Von den Jahren 1696, 1744, und 1750; in des Abbé *Rochons* Reise nach Madagascar und Ostindien. Berlin, 1792. 8. mai. pag. 175 sq. *M.*

c) Vetus quidam grammat. apud *Rigalt.* pag. 299 scribit, agrum *uliginosum* dici eum, qui semper humidus est; *humidum* autem, qui siccari aliquando possit.

d) Qua data porta, ruunt. *Virg. Æn.* 1. v. 85.

te, *Cochinchinae* dominatur, genuinum esse pariter *Tunquini* Dominum, illos vero, qui sceptrum ibi gerunt, intrusos, injustosque possessores. Ex illo reimpore *Vatinianum* duo haec inter regna ortum est odium, usque eo, ut, quisquis praefixos utrimque limites praetergreditur, illico ei caput abscindatur; prout frequenter jam contigit. Postremis tamen hisce annis, mutua conventione facta inter ambos fluvii *Herculei* (non plus ultra) vicinos data est libera saltem de die, hoc in flumine commeandi, et invicem contrahendi, facultas.

Obtenta hac victoria, *Cochinchinenses* suos extendere terminos sunt conati, ut promtiores se redderent, ad hostiles *Tunquinensium* incursiones propulsandas. Quare primum hoc ipso in loco, ubi felici Marte decertatum fuit, propugnaculum exstruunt, suo modo validissimum, collocantes in montis cacumine castellum, unde una ex parte adjacentem terrae planitiem, ex altera totum possent mare perlustrare. Inde producto aliquot ad *leucas a)* muro juxta campum ab *uligine* celebrem, adsitam includunt silvulam. Sic hostes quidem commode videre, non autem vicissim videri ab iis possunt. Porro ubi facilior hostibus patebat adcessus, lata aeque ac profunda admodum fossa, praegrandibus cincta palis locum communiunt, exstructo insuper alio munimento juxta maris portum, quem tunc unicum habebant. De quo munitionum genere infra redibit sermo *b)*.

Dum

a) *Leuca* mensura itinerum apud *Gallos*, ut parasanga apud *Persas*, et milliarium apud *Latinos*: Ea 1500 passuum olim erat: Apud *Hispanos*, et *Lusitanos*, a quibus *legoa* dicitur, longior est.

b) Vide §. 4.

Dum fines suos ea, quam subjungo, ratione protendunt, Regni *Cambodiae a)* populi, *Ciampensibus* vicini, continuis distenti bellis vivebant, alternante fortuna, ita, ut modo hi, modo illi victores exsisterent. Damna hinc gravissima, calamitates maximae; silvarum incensio, camporum vastatio, tot utrimque hominum strages. *Cochinchinenses* utpote foedere juncti, subveniebant quidem *Ciampensibus;* ast perarduum iis accidit, horrea sua, quae ipsis annonam futura in tempora abunde suppeditare possent, toties aliorum in commodum exhaurire. Quare inito cum Rege *Ciampae* consilio, tandem decrevere, conjunctis viribus *Cambodianos* subito adgredi, ac eos, quoadusque valerent, ferro et igne suis e finibus profligare, dato in signum conflictus sequenti tessera: Simul ac erectas conspexerint praealtas perticas, viridibus ramis, foliisque in vertice redimitas, illico in hostem ruant una omnes.

Adest miles *Cochinchinensis*, et peragrando tres magnas *Ciampae* provincias, maritimam ibi ad oram considet. *Ciampenses* prope silvam tendunt insidias, repentinum in *Campodianos* impetum meditantes, ut eos aut in medium cogant, aut vim vi repellere nolentes turpem in fugam conjiciant. Quadam die sub lucem cum undique in Regni *Ciampae* vicinia ingentes adpareant perticae, fasciculis supra dictis coronatae, festinant *Cochinchinenses*, adhuc nescii, quos jam progressus fecerint copiae Regis *Ciampae;* hic enim nocte intempesta silvestribus e latebris prorumpens, *Cambodiae* terminos jam fuerat longe praetergressus, omnia, quae obvia habuerat, igne ferroque vastando. Id quod cernentes *Cambodiani* in arenam pariter descendunt; ferociter in hostes invehuntur. Praelio coepto, sat magnum iis facessunt negotium; utpote quos noverant

a) *Cambodia*, sive *Camboya*, vel *Cambega* regnum est *Asiaticum*. Primaria civitas eodem vocatur nomine, sita juxta fluvium *Maon*.

verant et viribus, et animo ſibi neutiquam pares. Cum vero ſub idem tempus *Cochinchinenſes*, adverſa ex parte advenientes, ex improviſo cum magna manu *Cambodianos* obruerent, accidit ut ſelecti nationis hujus milites, ad confinia ſemper excubantes, paene omnes caederentur, reſiduique, adſumta confeſtim ſupellectile magis pretioſa, fugientes, integras etiam provincias omnino deſertas relinquerent. Victores regionem occupant; firmiſſimis eam praeſidiis muniunt; pacem certum ad tempus cum vicinis ineunt; quam hi ſponte illis obtulerunt, ſolvendum quoque ſingulos in annos ſtipendium iisdem pollicentes.

Rex *Ciampae* ſubinde e vivis excedit, ſucceſſorem nactus, hominem admodum mollem, ac effeminatum, ſancitumque de belli adjutorio, ſuo ab anteceſſore cum *Cochinchinenſibus* foedus reſcindere molientem: Qui interim adquieſcentes, elapſo induciarum tempore, ſoli bellum adverſus *Cambodianos* felicibus adeo armis ſunt proſecuti, ut hi, relictis adſitis mari provinciis, propinquos per montes ad Regni meditullium ſe contulerint, atque haec ipſa montium juga pro Regni *Cochinchinenſis* limitibus adſignarint.

His ita comparatis, ad caſtigandam Regis *Ciampae*, infidelitatem ſe convertunt, bellum foedifrago indicentes, qui ſubito inimicorum adventu commotus, ne idem cum *Cambodianis* fatum experiri cogatur, amica utrimque facta compoſitione, terras mari conterminas *Cochinchinenſibus* cedit; contiguos ſibi reſervat montes; ſedem ſuam principem juxta eos collocat, anguſtis modo circumſcriptus terminis, ac miſer Regis *Cochinchinae* tributarius.

§. 2.

§. 2.

Regni ſitus, et limites.

Cochinchinae regnum, meridionali in plaga ſitum, quod ad longitudinem adtinet, ab auſtro aquilonem verſus, leucas 150 complectitur: quod latitudinem autem concernit, 10 aut 12, in quibusdam etiam locis nonniſi 7 vel 5. Hos autem habet fines; A ſeptemtrione *Tunquinum*, a meridie *Cambodiam*, ab ortu ſolis mare, altiſſimos ab occidente montes, *Tatariam magnam* contingentes, ubi *Nigri*, quos *Laos* nominant, morantur, quorum aliquì annuam Regi *Cochinchinae* ſolvunt pecuniam. Continua haec montium ſeries a *Tataria* majore *Sinica* ad magni usque *Mogolis a*) imperium ſe extendit. Vicini regno *Tunquinenſi* plerumque praedones ſunt, barbari, fraudulenti, et malevoli: In *Cochinchinae* alpibus degentes exſtant magis humani. Quocirca et variis per annum vicibus mercatum cum *Cochinchinenſibus* celebrant: caeteroquin *Tatarorum* inſtar vivunt, ſuas per cognationes diviſi, a patrefamilias ſeniore directas: Hic autem rurſus, cujusdam territorii gubernatori, qui *Reguli* nomen prae ſe fert, in majoris momenti negotiis ſubjacet.

Montes hi ob anguſta et lubrica viarum, praerupta ſaxa, arbores denſiſſimas vix non adceſſum omni ex parte prohibent. Quare Mandarinus, qui recipiendum ad tributum quot annis eo mittitur, parvi elephantis adminiculo, viarum iſtarum periti, poteſt illos conſcendere: In iis prope *Tunquinum* (leucarum ſex, majorem usque ad fluvium, *Soa Gianh* dictum, eſt diſtantia) rarum naturae cerni-

a) *Mogol*, aut *Mogoliſtan* imperium eſt *Aſiaticum*, provincias 38 complectens. Regionis hujus nationes nigrae ſunt gentiles: quae ſuo a colore *Mogoles*, i. e. *albae* adpellantur, *Muhammedis* ſectam ſequuntur. Vaſti hujus imperii fundator habetur *Tamerlanes*, quem *Temirem* annales *Turcici*, et *Chalcondylas* nuncupant.

cernitur prodigium, meatus ſcilicet ſubterraneus cum amniculo, nonniſi cymbulas admittente. Hunc ſupereminet praealta crypta, in cujus cacumine fons ſcaturit lacteus, qui ad modum *cataractarum*, ad imum defluit, atque hinc inde varias adſumens figuras, congelatur: genuinus eſt lapis, *lactites* adpellatus, ſingulare contra oculorum inflammationem, aliosque varios morbos, remedium.

Timetur hoc antrum tantopere a gentilibus, ut neminem facile ſit reperire, qui iſtud adcedere, multo minus quaedam adſtricta gelu fruſta decutere praeſumat. Medicina hac cum *P. Köfflero* opus eſſet, *Chriſtianos*, qui eam adferrent, conducere, erat neceſſe. Quoties Prorex novus, provinciam gubernaturus, advenit, illuc tota cum aula, Mandarinis, ac militibus ſe confert, ibique huic antro, quaſi Deorum forét habitatio, ſolemne peragit ſacrificium, plures boves, bubalos, porcos, aliaque altilia conſumens pro felicis regiminis augurio: Traditio enim habetur antiqua, Proreges omnes, ſacra haec omittentes, aut ſua fuiſſe dignitate ſubmotos, aut aliter miſere interiiſſe.

Iisdem in montibus colligitur lignum odoriferum, quod plerumque ligni *paradiſi* a), aut *aquilae* nomine donatur; magna mellis, et cerae copia, *unicornu* b), ebur, tigridum ac cervorum pelles; quae omnia hi monticolae *Cochinchinenſibus* pretio non nimis magno certis tempo-

a) Nominatur *agallochum* ab ἀγάλλω, orno, facio delectabile. Dicitur et ξυλαλόη, *lignum aloës*, quod eſt quibusdam maculis diſtinctum, odore jucundiſſimo, guſtu ſubamaro, oris graveolentiae maxime conducens.

b) *Plin. l. 8. c.* 21. Fera, unico hoc cornu inſtructa, delineata eſt tab. 494. fig. 2, in opere ſinico hiſt. nat. Biblioth. Trewianae Altdorfii Noricor. a me deſcripto in P. III. *Memorabil. Biblioth. publicar.* Norimb. p. 218. ſeq. *M.*

temporibus divendunt, merces vicissim alias coëmendo, uti sunt telae e serico, et *gossypio a)* contextae, vasa terrea, ac aerea, aliaque supellex domestica.

Ex adversa horum montium parte gaudet haec gens amoenissima de planitie, ubi agros, quibus dives respondet fructus, excolit, aqua, ad eos irrigandos, e montibus continuo decurrente. Apertum hunc campum excipit fluvius, latus quidem, sed non profundus; Innumeri in eo pisciculi sola manu istis a montanis capiuntur. Terram vicinam, quae deserta est, steriles arenae tenent. Horrorem complura adaugent juga, et inaccessa, perpetua velut serie cohaerentia. Asperrimam hanc, ac inhospitam tellurem *Nigri* compellant *daemonum regionem*: Noctu enim continuus ibidem ignis adparet, ac terrificus clamor percipitur. Viciniam hanc jam esse *Tatariam magnam*, non nulli opinantur.

Sunt hi montivagi venatores quam dexterrimi, plerumque sagittis, aut jaculis feram prosternentes; Indolis insuper satis mansuetae, ac omni a dolo remoti. Quae causa est, cur *Cochinchinae* Reges suam ad custodiam, intimamque familiaritatem eos selegerint, experientia docti, hos sibi, ipsismet *Cochinchinensibus*, esse longe fideliores. Dum *Nigri* isti candide rem tractant, eumdem animi candorem ab aliis exigunt. Quapropter quempiam distrahendis in mercibus fraudatorem si deprehendant, mox eum, aliis etiam praesentibus, interficiunt, rescisso omni ulteriore multos per annos commercio, nec persoluto Regi stipendio: Quod toties faciunt, quoties a *Cochinchinensibus* aliqua iis injuria infertur. Hinc annis singulis Mandarinus eo se recipit, ut querelas, si quas habent, valeant exponere.

Omni

a) *Gossypium* frutex, qui nucem gignit, et in ea lanuginem mollissimam. *Plin. l.* 19, *c.* 1.

Omni quinquennio legatum *Cochinchinensem* ad aulam expediunt, amicitiam cum Rege renovaturum, ad quam testandam, varia secum adfert, et offert munera. Turba comitum, officii, ac honoris gratia qui eum subsequuntur, recenset milites 56 et robustissimos, et bene armatos, et probe vestitos, ita, ut hoc in genere *Cochinchinensibus* parum cedant. Confinibus adpropinquantem Rex, praemissis 4 triremibus suis, splendide excipi, ac per Mandarinum regiam ad urbem deduci jubet; quem 4 seu 5 militum cohortes majorem ad pompam, et legati venerationem comitantur. Toto, quo in aula moratur, tempore ad Regis expensas lautissime tractatur. Legatione finita, discedendi veniam a Rege ubi petit, vicissim ab eo dona accipit, Regulo suo deferenda, ac eodem, quo advenerat, comitatu instructus revertitur.

Caeterum gens ista est plane rudis, nulli se adplicans officio, praeter illud, sartori proprium, et hoc omnibus est commune. Nec scribere, nec legere norunt praeter Regulum, aliosque perpaucos, gravioribus in negotiis ad *Cochinchinae* Regem mitti solitos. Curiosa utuntur arithmetica, quae tamen neminem fallit. Lingua, quam loquuntur, tam corrupta est, ut aegre possit intelligi, etiamsi re ipsa eadem sit, qua vulgus in *Cochinchina* utitur. Non habent, qui medicinam profiteantur; sed quivis juxta herbarum cognitionem, quarum virtutem optime noscunt, se suosque curat. Religioni certae non sunt addicti: duos tamen admittunt angelos, alterum bonum, ad bona hortantem, et benefacientem, malum e contrario alterum, ad impia incitantem, ac graviter nocentem: Hunc timendum, amandum esse illum, adseverant; quem pariter ceu Deum tutelarem plerumque colunt, et adorant.

§. 3.

§. 3.

Regni clima, ac fertilitas.

Caelo *Cochinchina* fruitur clementissimo, auraeque temperie saluberrima, ea si excipiantur loca, quae *Laorum* Alpes adtingunt: cum enim venti hasce terras permeare non possint, earum incolae aestivo tempore calorem, eumque vehementissimum patiuntur, per hiemem autem frigus longe acerrimum: Cui adsurgentes montium nebulae, atque exitiales maxime exhalationes adcedunt. Alibi ubi major est siderum vapor, dominatur Auster, indies ab hora 9na matutina ad 4^tam^ usque pomeridianam tanta perflans vehementia, ut nullus omnino aestus sentiatur.

Solo gaudet quam fertilissimo; siquidem gemina oryzae messis omni anno colligitur, ad quam aquarum inundatio, quae in *Novembri* fieri adsolet, plurimum conducit. Messis prima in *Martium* incidit, et copiosior; altera sub finem *Julii*, aut initium *Augusti*. Sic fundus cum usura reddit, quod accepit. Omnis generis fructibus abundat, ita, ut his, aut illis deficientibus, semper alii succedant. Ficus, mala citrina, et aurea quasi per anni totius decursum perdurant. Pulvis *Nicotianus a)* (quem *tabacum* vulgo dicimus) optimus est, ejusque usus (sive sit ille, qui dentibus comminuitur, quam alius, qui per fumum excipitur) adeo immodicus, ut vere abusus queat adpellari. *Saccharum b)* duplicis speciei conficitur; et hoc candidissimum, quo ad fructus condiendos, perficiendaque varia bellaria, utuntur, palato sane gratissima.

a) *Joannes Nicot*, patria *Nemausensis* (Nismes) plantae huic (quam e *Lusitania*, ubi 1559 legatum agebat, in *Galliam* secum tulit) nomen suum indidit.

b) De quo *Plin.* l. 12. c. 8. *Saccharon et Arabia* fert, sed *laudatius India.* Vid. Cel. *Joh. Beckmann* Sacchari histor. in Comm. phys. Soc. Scient. Gotting. V, p. 56.

tiſſima. Sacchari abundantia facit, ut hoc parvo ematur. Pellucidi (quod Luſitanis eſt *açucar candi*) pondus centenarium (hoc libras 120 continet) quinque, alterius vero tribus plerumque venum it imperialibus.

Mel et ceram abunde montes ſuppeditant. Goſſypium, ac Sericum pro annorum varietate, plus minusve habentur: Bombyces ſi moriantur, aut tenellas plantas ſi pluvia deſtruat, majore conſtant pretio: Ex his ſua contexunt veſtimenta. Per aeſtatem (pauperibus aeque ac piſcatoribus exceptis) quaſi omnes ſericati incedunt. Serici qualitas ſi conſideretur, exſiſtit ea *Sinenſi* melior, magisque ſubtilis, ac diuturna, ab *Europaeis*, quovis anno *Cantonem* a) navigantibus, tam ſolicite inquiſita.

Neque deſunt ad victum neceſſaria; boves, *bubali* b), cervi, apri, porci, caprae, anſeres tam ſilveſtres, quam domeſtici, anates, columbae, gallinae, perdices, alaudae, varia altilia, aliaeque volucres non inſipidae; piſces inſuper delicatiſſimi, qui tum in mari, tum in lacubus, et fluviis, totum pene regnum interluentibus, captantur.

Pro ciborum condimento creſcit piper qua album, qua nigrum, *zingiber*, *crocus*, *cinnamomum*, (ſal maritimis in ſalinis coquitur) ſinapi, cucumeres, *melopepones*, cucurbitae. Coluntur in hortis fabae, ſpinachium, cichorea, lactuca, et his ſimilia c). Oryza reddit etiam farinam, varia unde pulmenta praeparantur. Vinum coctum, ſaccharoque conditum conſueto potui deſervit.

Nemora

a) *Canton* civitas primaria *Sinicae* provinciae *Quantung*, quae urbes 84 complectitur.

b) *Bubalus* in *Africa* juxta *Plin.* l. 8, c. 15. ad vituli potius, vel cervi accedit ſimilitudinem. Antilope Bubalis. *Pallas*, ſpicil. 12. Buſelaphus *Geſner.* Quadrup. pag. 121.

c) De hiſce et aliis agit Cel. *Joh. Loureiro*, Amicus noſter, olim Miſſionarius S. I. in Regno Cochinchinae, in *Flora Cochinchinenſi.* Vlyſſip. 1790. 4 mai. 2 Tomis. *M.*

Nemora vestiuntur arboribus, ad aedes non minus, ac naves exstruendas aptissimis. Magis pretiosa exstant ligna; *Sassafras a)*, *ebenum*, et illud, quod a paradiso nomen trahit; cujus medulla *ad auri pondus* venditur carbonibusque imposita, thymiama fragrantissimum antecedit. Sunt praeterea alia duo, unum flavi, et citrini, rubri, et velut sanguinei coloris aliud; e quibus domus omnes Regiae sunt exstructae, optimatumque loculi (quippe lignum isthoc nulli est corruptioni obnoxium) perficiuntur.

Diversas hae sylvae sustentant feras, et animalia, elephantes, rhinocerotes, bubalos feroces, tigrides, apros, cervos, vulpes, erinaceos, simias, sciuros, et pavones. Tam in silvis, quam in campis herbae crescunt maxime salutares, et radices medicae: Harum species centum, et ultra sunt a *P. Kofflero* detectae, ac praeparandis pro medicamentis collectae. Rebus, quae rariores sunt, adnumerantur lapis *lactites b)* cancrique lapidei, mirae prorsus virtutis; hi in uno solum fluvio reperiuntur, rubri vero, cruceque flava in dorso signati pluribus in locis, qui etiam manducantur.

Sunt pariter Regno fodinae, metallo feraces, ferro praesertim, auroque optimo, quod in terrae superficie jam adparens, citra magnum laborem, copiosissime eruitur. Erutum, atque ad *panum c)* formam redactum, in antiquo

a) Arbor praegrandis, folio ficulneo, cortice ex fulvo nigricante, aliquantulum acri sapore, sed aromatico odore, foeniculum redolente.

b) Vide supra p. 26.

c) Moneta intelligitur *Cochinchinensis* hos per *panes*, quorum alii sunt *argentei*, alii autem *aurei*. *Lusitanis:* panes de ouro. Quivis uncias 10 complectitur. *Panis* interdum dicitur *massa cujusvis materiae*, in *panis morem* formatae. Sic *panes aerei* apud *Plin.* l 34, c. 11. Item *panes aphronitri* (écume de salpetre) *Stat. l. 4 Silv. ult. v. 37.*

antiquo Regum palatio custoditur: Qui milliones facile quinquaginta excedunt, teste syngrapha, foribus incisa, ac simul declarante, quantum quisque Regum, regiminis sui tempore congestum, in patriae emolumentum, aerario huic intulerit.

§. 4.

Regni suas in provincias divisio, munitiones, domicilia.

Regnum *Cochinchinense* secundum quosdam decem in provincias dividitur; sed minus proprie. Nam illa solum vere dici potest provincia, ubi Prorex adsistit. Dum igitur septem vicaria Regis potestate dumtaxat praesunt, totidem exstant provinciae; *Dou-Nai*, et *Baria* videlicet; quae ambae ultima sunt *Cochinchinae* confinia, ad Meridiem directa, Regnique *Cambodiae* terminos adsequuntur. Prima earum ob omnium rerum adfluentiam, praesertim oryzae, est omnium ditissima, *regnique horreum* adpellatur. *Quang*., vel *Cham*, praecipuus ubi portus, *Turon* dictus, tantae est latitudinis, ut naves mille *Europaeas* commode comprehendat: Idem ab adcessu ventorum, et tempestatis immotus, a monte, qui velut sinu quodam, flexuque est curvatus, defenditur. Locus vero commercii, portui vicinus (hunc quasi mercatores soli incolunt, tam *Sinenses*, quam *Cochinchinenses*) *Phay pho* vocatur, idemque significat, quod apud nos *forum scrutarium* a). Dixi: *Sinenses;* etenim *Sinae*, totum per regnum, *Judaeorum* instar, dispersi, ubique negotiantur: quorum numerus ad triginta circiter millia adscendit.

Sequitur provincia aulae, *Dinh Cat* nominata, omnium maxima, aedificiis perfrequens, celebris, ac copiosissima, in cujus centro ampla admodum sita est insula, ubi Regia

(*Sinoe*

a) Derivatur a voce *scruta*, *orum*, sive omnis generis veteramenta.

(*Sinoe* eſt nomen ejus) adſurgit. Ordine ſervato, proxima exſtat provincia *Dinh Teám*. Proregis praecellentiſſimi ſedem conſtituit *Muoi Có*: Huic ſumma imperii, bellique adminiſtrandi permittitur, hoſte partem regni ſeptemtrionalem oppugnante: Poſtrema eſt *Dinh nebe*, cujus finem *Tunquinum* terminat. *Quin nhon*, *quin nhing*; *Phán Ri*, *Phán - Ráng*; et *Nha Ru*, *Nha Tláng* territoria ſunt, litterato a *Mandarino* gubernata.

Propugnaculum, quod Regnum contra *Tunquinenſes* tuetur, eſt ſatis aptum *a*), ad hoſtibus inde advenientibus reſiſtendum, uti hactenus ſemper iisdem reſtitit, ſiniſtram belli aleam expertis, ac ingenti plerumque ſuorum clade, fugam arripere coactis. Portus introitum vigiliae quidem protegunt armatis inſtructae triremibus: Nihilominus hae valent naves *Sinicas*, non *Europaeas* deſtruere.

Uno fere abhinc ſaeculo occuparunt *Angli* propinquam provinciae *Doú Nai* inſulam (*Pulo Condor b*) dicitur, *Cochinchinae* Regi ſubjecta) fortaſſe cogitantes, totam ſenſim provinciam, adjunctasque terras ditioni ſuae ſubjicere: At *Cochinchinenſes* imminens ſibi malum tempeſtive ſubodorantes, inquilinos omnes per proditionem (unicum praeſidii praefectum ſi exceperis) furori ſuo immolant; exſtructos ab hoſtibus muros cunctis cum munimentis ſolo aequant; tormenta, caeteraque arma bellica, merces *c*), ac quaecumque uſui eſſe poterant, auferunt. Et ſic intra noctis unius ſpatium a vicinis, quos maxime formidabant, ſemetipſos liberarunt.

Porro

a) Vide C. I. §. 1.

b) Maritimam ad oram *Cambodiae*; de quo regno vid. pag. 23.

c) Eodem in loco deponebantur merces, alio transmittendae, quem *Luſitani* vocant *feitoria*.

Porro nulla cernitur cincta moenibus civitas; solummodo territoria illa gubernator, aut Prorex reſidet, hoc de nomine ſibi gaudent. Sed ubi habitant *Bonzii*, gentilium monachi, et delubrorum miniſtri, omnia muris, quorum altitudo *orgyiam a*) unam, ac mediam adtingit, ſunt circumdata. Domus omnes e ligno exſtructae, unius plerumque contignationis, et ſtramine contectae. Aedes inſulae Regiae *imbrices*, lateresque cooperiunt, ſimiliter domicilia emporii *Phúy phó* ob plebis multitudinem, incendiique periculum. Aedificium quodlibet ſaepe cingitur, et cuſtoditur.

CAPUT II.

De Regis cultu, majeſtate, et potentia.

§. 1.

Regis inauguratio, proclamatio, veneratio.

Rex novus ubi declaratur, cerimonia haec inſtituitur. Coronae haeres, annum aetatis vigeſimum poſtquam implevit, ſuo cum Nutritio, aulico in auditorio publicum Regis petit adloquium, ſuique juris, in regno ſuccedendi, confirmationem. Id quod Rex praeſtat, aureum porrigens gladiolum Principi: Hic dein ad deſtinatum ſucceſſori Regio palatium deducitur cum tota comitum ſuorum caterva, ei a Rege patre conceſſa. Sunt autem ephebi 8 aut 10; Eunuchi 4; tres, aut duae militum cohortes ſuis cum ducibus; duo, qui ſunt a ſecretis, ab epiſtolis; Magiſter, aut Inſtructor patriis in ritibus, legibus, ac regni decretis; Praepoſitae tres aulae, camerae, et culinae; magna denique famulorum, famularumque turba.

Atque hoc in palatio moratur ad patris usque obitum, qui difficulter ſciri poteſt, ex eo, quod Regis aegrotatio non

a) *Orgyia*, menſurae genus 6 pedes continens.

non facile divulgatur: Quin jam Reges erant (quos inter avus moderni) qui etsi gravissime infirmi, se vestibus tamen indui, atque ad praebendum more solito adloquium se deportari patiebantur, tantum idcirco, ne mortis, in quo tum versabantur, periculum subditis innotesceret. Quare si contingeret, ut Rex prius moreretur, quam haereditarius Princeps id resciret, Eunuchus primarius confestim fores palatii omnes obserari, et a militibus, foris undique custodias agentibus, intra jubet eas custodiri, ita, ut jam nemini nec intrare, nec exire liceat, quoad is per triduum Regis sui mortem lugens, ea, quae filii sunt, pietatis erga patrem officia persolvat: Quibus finitis, ubi Princeps palatium intrare contendit, Eunuchus portam aperit; eum ad parentis defuncti locum perducit; sicque ab eodem Regnum, gratuitum veluti donum accipit (uti jam variis accidit) cui postea gratitudinis titulo (hic prae omnibus est observandus, in omnium odia incurrere nisi velit) vix non imperiose subjacet.

Ad hanc indecoram Regi servitutem evitandam, moderni patruus ac tutor, strenue ipsum adjuvit: sciverat, unde nescio, Regem vita adeo periclitari, ut intra 24, ad summum 30 horas naturae debitum esset ei reddendum. Suadet ergo Principi, adsumto gladiolo aureo, ad Regiam illico pergat. Ad palatii fores pervenientibus (Tutor comitabatur Principem) milites ingressum negant: Regis, ajunt, mandatum esse, ne quis (nemine excepto) hac die introeat. Tum patruus monet Nepotem, distringat gladiolum, et quemcumque sibi resistentem interficiat: Qui certissime primum militem sibi obvium peremisset, nisi ictus inclinatione corporis ab eo evitatus, inanis excidisset. Quare violento hoc modo patentem cum haberet portam, severo milites vultu intuens, *scire*, ait, *ego cupio, meo cum genitore quid agatur; Et vos adcessum mihi negatis, et primogenito, et haeredi?* Sic nudato

ferro ingressus, non sine omnium admiratione, ac stupore ob rei novitatem, regium ad conclave properat, ubi patrem jam cum morte luctantem reperit, duabus post horis extinctum. Excandescens proin adversus Eunuchum (qui plane contrarium de Regis valetudine in vulgus sparserat) infidelitatis eum coarguit, ac mox per eumdem cunctas domus Regiae fores occludi, et custodiri praecipit.

Triduo exacto, Regis obitus annuntiatur: Vexillum novi Regis nomine insignitum in turri supra principem palatii portam exponitur: Ministri aulae omnes, cuncti ordinum universorum Mandarini, quotquot sunt cohortes militum, conveniunt. Rege praesente, ejus patruus, aut, officium si vacat, Mandarinorum litteratorum primus tanta contentione, quantum forum est, *Veneramur*, dicit, *Regem nostrum*: Proprio hunc compellat nomine (Modernus vocatur *Duc Thänz Thüong*, h. e. *Patriae benignus gubernator*) eique *millies mille annos precamur*. Tunc omnes quatuor vicibus (alias tribus dumtaxat) inclinato ad terram capite, se prosternunt. Rex, *grates agimus*, reponit. Quae verba festivo populus clamore excipit.

Rex dein ad *propylaeum*, fluvio magno oppositum pergit. Supremus ibi militiae navalis dux cum triremibus 50, duos in ordines divisis, advenit, votum vitae regiae, ad tot annorum millia prorogandae, renovans. Rex solemnibus sibi verbis respondet. Adpropinquant elephantes, quibus eorum moderatores insident, laeta adclamatione Monarcham pariter suum honoraturi. Postremus est summus stabuli Magister, qui ostentans equos ad magnificentiam phaleratos, loris aureis, ephippiisque pretiosis exornatos, novo Principi suo similiter adplaudit.

Interius postea Rex subit palatium, hunc accepturus honorem a tota familia regia, a concubinis, ab Eunuchis,

ab

ab aulae ephebis, a Nigris si qui adsunt in secundo consanguinitatis gradu constituti, hos coram se prostratos stans et erectus admittit.

Demum harioli, duas reddentes catervas, omnem, qua late patet, fluvium, qui aulam adluit, percurrunt; suos, ut ajunt, exorcismos daemoni intentant, sclopeta non pauca explodendo, eumque inde fugari, stulte credulis persuadent, ne flumen hoc trajicientibus valeat posthac nocere.

Alium in diem praestandum fidelitatis juramentum indicitur, quod Rex a primariis aulae Ministris ipsemet exigit, quoad reliquos, negotium isthoc uni alterive Mandarino committens. Idem jus jurandum, quippe sexcentis refertum diris, magnum erat *Christianis* obstaculum: Quocirca illo ne se contaminarent, morbum simulantes, domi remansere. Haec jurandi aeque ac imprecandi formula quot annis, post finitas anni novi ferias (*Rdvink* vocant) omnibus a Mandarinis, militibusque reposcitur, a quibus caeterisque subditis Rex ita colitur, ut ejus dicta, ac edicta sicut oracula adorentur.

Quidquid pretiosum, curiosum, rarum, aut pulchrum ab iis adquiritur, Regi offerunt; subditum enim, Domino suo, melius quidquam possidere, indignum arbitrantur. Ejus vultum (hunc nisi allequaris) contueri, crimen habetur. Hinc palatio dum exit, domorum, quas praeterit, portae clauduntur, ac per praeconem omnibus indicatur, ne quis in platea compareat, collocatis simul excubiis, populum transeuntem arcentibus. Atque haec ratio est, cur raro admodum in publicum prodeat.

Si contingat, ut propinquorum suorum quempiam infirmum, v. g. patruum, aut materteram invisat, locus, ubi considet, sacer est, ita, ut jam nullus in posterum eum occupare, aut pedibus contingere audeat: Mox enim ei praefigitur tabella, Regis nomine illustrata, ab omnibus veneranda. Universus insuper ornatus, ad recipiendum

dum talem, ac tantum hoſpitem adhibitus, ſemper ibi eodem remanet modo, ac ſi praeſens adeſſet.

§. 2.
Regis pompa, et cuſtodia.

Modus, Rex quando egreditur, hic ſervatur. Primo cohortes praecedunt aulicae, jure omnes, quae ſunt 25, (ex conceſſione tamen Regis, ſubinde duae tantum, aut tres, ſi exigua loci, quo vadit, ſit diſtantia) oblongis inſtructae *frameis a)*. Harum manubria ex argento, palmum fere cum dimidio adtingunt: dextera has manu tenent, demiſſa, et juxta latus directe extenſa, manubrio humerum adaequante. In cohortis medio gradiuntur centuriones, ſuis pariter *rhomphaeis b)* armati, quarum capulus eſt aureus, eleganter elaboratus, et non glaber, quem miles habet gregarius. Sequitur caterva, *aureo* ab *enſe* dicta. Medium occupant ephoebi, qui *externi* adpellantur, propterea, quod, Rege exeunte, ſolum officio ſuo perfunguntur. Qui cohortem hanc conſtituunt, idem armorum genus, ſed brevius, argentea adornatum anſa, protendunt. Proximi eunt, qui ſumtuoſos portant *petaſos*, amoenam ad umbram Regi conciliandam. Hoc ad agmen admittitur nemo, niſi robuſtarum ſit virium, ac procerae admodum ſtaturae: Horum enim umbraculorum manubria ſunt plerumque ex ebore, aut pretioſo e ligno confecta; eorum capitellum ex auro conſtat; galerus

a) *Framea*, lancea, vel haſta *germanica*, de qua *Tac. de Germ.* C. 6. ait: *Haſtas, vel, ipſorum vocabulo, frameas gerunt.* Vetus Criticus in *gloſſar.* interpretatur frameam ϱομφαιαν. Cui aſſentitur *Iſid. l.* 18 *orig.* C. 6.

b) Rhomphaea *Iſid. l. c.* gladius ex utraque parte acutus, quam vulgo *Spatham* vocant, unde etiam *Eccl.* 21. v. 4. habetur: *Quaſi rhomphaea bis acuta.* Eſt a ϱέμβω in gyrum circumago; hoc enim facere ſolent *rhomphaea* pugnantes.

galerus (qui eſt aut holoſericus, aut operis *Damaſceni*) tantae eſt magnitudinis, ut hominem quemcumque adverſus ſolis, ac pluviae injurias poſſit defendere.

Tum Rex geſtatoria in ſella octo a viris, iisque valentiſſimis adfertur: Haec ſimilis exſtat ſedili *a*), Pontificali in Miſſa apud nos adhiberi ſolito, tota quanta ver n ce, auroque obducta. *Anaclinterium b*) tela eſt pretioſiſſima, aureis illuſa floribus, veſtitum. Cuſtodia corporis regii praecipua e nobilibus Mandarinorum filiis conflatur, quatuorque ducibus, quibus Rex ipſe eſt praefectus. Tota haec pompa clauditur aliquot militum, ſine ordine procedentium, manipulis.

Solemnior eſt Regis egreſſus, fluvium trajicientis. Tunc enim triremes 10, (quaelibet remis 50 eſt inſtructa) ac cymbae 25, (cohors quaevis propriam ducit remorum 24), illum comitantur. Maxime vero ſolemnis actus conſpicitur, ubi Rex ad aulae portum ſe confert, annuum auſtralibus e provinciis vectigal recepturus, quod ſecundum Regni decreta ei non-penderetur, ille ipſe niſi adveniret. Qua de cauſa ſingulis eo annis profiſciſcatur, eſt neceſſe. Triremes ergo omnes regiae (hae ſunt 50) cum ſingularum cohortium cymbis, eumdem numerum complectentibus, ad ſplendidiſſimum hoc iter praeparantur. Concubinae etiam praecipuae, ſuis vectae *phaſelis c*) (quibus remi ſunt 14) comitatum hunc ampliſſi-

a) Sella haec plicatilis nominatur *faldiſtorium*; de quo *Cerem. Epiſc. l.* 2, *C.* 25.

b) Sellae dorſum, aut reclinatorium ab ἀνα, et κλίνω, reclino. *Cic. Accuſat. in Verr. l.* 5. inquit: *ut mos fuit Bithyniae Regibus, lectica octophoro ferebatur*, ſive lectica, quae ab 8 lecticariis ferebatur. Et *Sueton. de Caligula C.* 49. ait: *Iter confecit — — interdum adeo ſegniter, et delicate, ut octophoro veheretur.*

c) *Phaſelus*, navigli genus, nomen habens a *Phaſelide*, urbe olim *Pamphyliae* in *Aſia*.

plificant. Sic navigatio haec magnificentissima navigia plerumque 140 recenset.

Triremes hae omnes vernice, prora autem (hanc et elegans tectum, columnis quatuor innixum, contegit, et tormentum aeneum munit) et puppis auro coruscant. Illa, qua Rex vehitur, antica in parte, utrumque tormenti bellici latus aureum rubra in area draconem commonstrat. Adsistit ibidem quibusdam cum ephebis *archithalassus*. Pervenusta insuper aedicula, et inaurata, in phaseli medio adsurgens (cui fenestrae sunt quatuor, cancellis haud absimiles) in concubinarum cymbis prominet, ita, ut ipsae videre omnes, videri autem a nemine possint.

Ut primum Rex portum adtingit, cuncta antecessorum suorum, juxta ordinem sepulchra, ter ad terram usque inclinatus, veneratur. Tum ad portus ostia, solis stipatus triremibus, progreditur. Quo tempore navigia reliqua, expansis velis, quasi alio migratura, in altum se proripiunt, confestim tamen, pulsato a Rege tympano, redeuntia: Triremes regiae alterum ex altero adsequuntur, injectoque fune, ad portum tamdiu pertrahunt, donec singula, veluti capta, victrices introduxerint.

Post Mandarinus, tributi conductor, certum auri pondus Regi offert una cum rerum indice, in portorium adferri solitarum: quae sunt vinum, oleum, oryza, cera, mel, sericum &c. Ingens inde pecuniae summa emergit. Mares ab anno aetatis octavo et decimo ad septuagesimum usque (hic jam excluditur) Mandarinis, militibusque exceptis, florenos quinque quolibet anno persolvunt. Pro pauperibus, laborare amplius non valentibus, loci communitas annuum hunc censum dare cogitur. Ad secundam noctis vigiliam, sumtibus regiis, pro universis, tam in mari, quam in fluviis, vita functis, justa celebrantur. Quae potissima ex parte congruunt cum ea funebri pompa, quam separatus infra pa-

ragra-

ragraphus describet. Postera die Rex, cervorum, aut aprorum venatione se oblectare nisi velit, aulicam ad urbem revertitur.

Porro pro personae regiae custodia intra palatium solummodo adhibentur *Nigri*, vulgo *Lai*, ex *Cochinchinae* Alpibus collecti *a*). Quibuscum summa Regi familiaritas, dum intercedit, ideo ab omnibus, ipsis etiam Mandarinis, Regnique proceribus metuuntur. Illi cohortes quatuor constituunt, totidem cum tribunis, et vicario ducis supremi, qui Rex solus esse potest. Cunctis hisce titulus *ephoeborum aulae interioris* convenit; qui certum intra numerum non constringuntur.

Pro custodia palatii *exteriore* destinatae sunt cohortes 25, diu noctuque excubias alternantes. Alia est cohors ephebOrum *Cochinchinensium*, adsueta Regem exeuntem comitari. Sunt pariter quinquaginta, qui sub nomine ephoeborum, *exteriore* ab *aula* adpellatorum, veniunt. Sunt denique catervae aliae 25, majori potius pompae, quam custodiae Regis destinatae.

§. 3.

Regis militia.

His adcedunt militum maritimorum cohortes 50, quibus si adnumerentur *Venatores*, *Sagittarii*, *Hastati*, una cum auxiliariis, facile erunt viginti hominum millia. Pugna navalis quot annis hoc modo exhibetur. Procedunt acie directa contra inimicum, ad bacillorum duorum, quae colliduntur, sonum, tanta remigantes aequalitate, ut, sclopetum hostile, primum in remum figens scopum, si aberret, globus ita omnes transeat, ut ob eamdem, quam servant, altitudinem, nullus offendatur. Tum tormentum ad proram explodunt; pedibus dein remos extra aquam sustinentes, latus obvertunt sinistrum, ferreas-

a) Vide C. I. §. 2.

ferreasque fiſtulas exonerant, remos concitantibus tunc iis ſolis, qui dextera e parte conſiſtunt; mox illos denuo arripiunt, ut et, qui ad dextrum ſunt, ſclopo uti poſſint igniario. Atque ſic triremem quam celerrime in gyrum agendo, diſcedunt, poſtremum occupant locum, bombardas denuo inſtruunt. Hac ratione, altera pugnat triremis, ac reliquae omnes. Certamen viſu quidem jucundum, ſed ad confligendum cum hoſte, qui non eſt *Aſiaticus*, minus aptum. Non ſunt *Orientales* hae nationes, quae, igne conſpecto, magis incaleant, aut ſanguine profuſo, plus efferveſcant.

Unicum, quod fortaſſe militem *Europaeum* poſſet perterrefacere, elephantes ſunt, ad bellandum optime inſtituti: Hi enim intrepide (quae ferociſſimarum harum belluarum eſt natura) hoſtium in phalanges irruunt; omnia ſuſque deque ſternunt, proculcant, biſurcis dentibus in altum excutiunt; nec ſclopetorum glandibus plumbeis, aut lanceis, ob pellis et duritiem, et craſſitudinem facile ſauciantur niſi ea in parte, ubi femur, et coxendix coeunt, adeo molli, ut immiſſa in hanc ſica, aut gladio, haud difficulter proſternantur *a*). Belligera haec animalia Rex alit in aula plerumque 50, prope *Tunquinum* plura: His, belli tempore, inſidet; Regis item filii, conſanguinei, optimates, Provinciarum Gubernatores, Proreges.

Elephanti duo, aut tres, quos Rex conſcendit, ita ſunt inſtructi, ut genua flectentes *b*), tam ſuaviter ipſum erigant, ut nec minimam ei moleſtiam exhibeant. Id quod ſane mirandum in bellua tam obeſa, tantaeque gravita-

a) *Plin.* *l.* 8, *C.* 28. de rhinocerote: *Hic genitus hoſtis elephanto: Cornu ad ſaxa limato praeparat ſe pugnae. in dimicatione alvum maxime petens, quam ſcit eſſe molliorem.*

b) Idem *l.* 8, *C.* 1. inquit: *Elephanti Regem adorant, genua ſubmittunt.*

vitatis *a*): Turricula dorſo ejus impoſita, ac validiſſimis infra ventrem loris colligata, hominem pedibus conjunctis conſidentem (tam alta, lataque exſiſtit) commode comprehendit. Illa, quae Regis eſt, tota auro, aliae dumtaxat vernice ſunt circumdatae, ſcite tamen, et artificioſe exſtructae. Reliquos in elephantes ſcalae, ſex, aut octo graduum ſubſidio aſcenditur. Hos ſequuntur, qui et lanceis, et *bidentibus*, et *tridentibus*, et enſibus dimicant: Iſtos tum ob pondus, tum ob manubrii longitudinem, manu una diſtringere haud poſſunt. *Lanceariorum* latus ſtipant, qui ad *ſagittas* arcu emittendas ſunt dexterrimi. Militum ab *haſtis*, quas gerunt, dictorum cohortes quatuor Regem defendunt, una Mandarinos. Caeterum antiquam belligerandi methodum imitantur.

E provincia *Barienſi* alternis menſibus ablegantur milites, influentes in patriam hoſtium, maxime *Cambodianorum*, copias repreſſuri. Adhaec juxta maris litus vicinis in collibus praealtae cernuntur turres, (ab una ad alteram paſſuum mille eſt intervallum) ubi, hoſte imminente, quam primum ignes accenduntur. Sic breve intra tempus acies *Cochinchinenſis* ſtat expedita, ad impetum hoſtilem excipiendum.

CAPUT

a) *Elephas*, animalium omnium terreſtrium animal maximum, quibusdam *barrus* nominatur a Βάρος, pondus, onus, *gravitas*. Qui *Indos* debellavit *Bacchus*, primus omnium triumphavit, *Indico* vectus *elephanto*: Qui et *Bos Lucas* dicitur, quod *Romani* in *Lucania* primum *elephantes* viderunt *Pyrrhi* tempore. *Varro de L. L. l.* 6. a *luce* dictos putat, quia longe *relucebant* propter *inauratos clypeos*, quibus eorum *turres* ornatae erant.

CAPUT III.

De Regis aula, et recreatione.

§. 1.

Palatium regium.

Regiam, in quadratos redactam pedes, murus triplex munit, atque circumdat. Portae majores numerantur septem: Praecipua, quae fluvium respicit, aedificii frontem ostendit, turritae inclusam aediculae. Prope hanc sinistra e parte tria illa eminent tormenta grandia, quae numquam, nisi ad Principis haereditarii partum, excutiuntur. Minora sunt 150, tam ferrea, quam aerea, per palatii circuitum ita disjuncta, ut duas inter columnas unum promineat. Portam principem si ingrediaris, spatiosum patet atrium, ubi cohortes illae 25, (quae vigiliarum ibidem vices servant) duo in cornua divisae adsistunt, dum publicum a Rege datur adloquium, juxta Regni leges, binis per hebdomadem vicibus concedendum. Peramplum dein occurrit cubiculum; (*procoeton*) quo *Mandarini* se recipiunt: *Militares* dextram, *litterati* laevam occupant, quilibet secundum statum, ac dignitatis suae ordinem: Ad quod Rex sua in sella delatus, in medio juxta mensulam consideт, ubi penicilli, pulvillus in *cinnabarim* intinctus, sigillum. Atque hoc modo ad adloquium eos, qui hoc expetunt, admittit.

Portas e latere collocatas si intres, una ex parte stabula videntur, aliaeque domus, varia ubi animalia, quae *domestica* vocamus, nutriuntur, praegrandes praeprimis galli *Martiales*, qui ad singulare certamen mutuo ineundum informantur, ligatis ad calcaria lanceolis peracutis. Decernitur haud exigua pecuniae summa, quam lucratur, cujus gallus victor evadit. Neque opus est, ut alterius gallum perimat: sufficit, si unus demittens animum, ex

arena

arena aufugiat. Id quod ſpectatorum cachinno, plauſuque maximo excipitur. Galli hi etiamnum parvi, praeter alas, caudam et criſtam, plumis plane omnibus ſpoliantur; vino indies levantur; tantà inſuper aluntur diligentia, ut major ſaepius eorum, quam liberorum cura geratur. Altera ex parte exſtructa ſunt domicilia, quae cantatrices regiae incolunt.

In tertia palatii hujus regione exſtat hortus, laeta florum, herbarum peregrinarum, ac arborum varietate longe amoeniſſimus, quae non in ſolo, arena, eaque candidiſſima ſtrato, creſcunt, ſed grandibus in vaſis, partim picta ex *argilla*, partim (et haec quam plurima ſunt) e *murra a*), ſingulari opere, artificioque perfectis. Singula haec pulcherrimum in ordinem diſpoſita, ſuisque diſtincta *areolis* intuentium oculos et fortiter adliciunt, et ſuaviter paſcunt.

Adſunt ibidem vaſa alia, et permagna, geminae ſortis piſciculis referta. Qui ſquammis ſuperbiunt argenteis aeque ac aureis, tantum evibrant ſplendorem, ut ſolis perſtricti radiis, aquae innatando, aureum, ut ita loquar, *phosphorum* repraeſentent: Hi utpote pacis amantes, ſimul habitant, ac plerumque vix palmum longitudine, latitudine autem duos vix digitos transverſos ſuperant: Cauda iis bifurca, ita quidem, ut pars ſuperior inferiorem jucunde praeveniat. Id genus piſciculi in variis montium rivis reperiuntur: Alii adhuc minores, ſubrubri coloris, prope fonticulos intra lapides reconditi capiuntur: horum maſculi omnes belligeri, continuo inter ſe luctantur. Quilibet ergo ſolus vaſi imponitur, in cujus medio ſaxum excavatum, quo ſe recipit, ac ſolis ab aeſtu defendit. Iſtos invicem bellum gerentes viſurus, unum ſuo e vaſe eximit,

a) Vulgaris adpellatio eſt: *Porcellana*: Vocatur et terra *India*, vel *Sinenſis*, quia ejusmodi vaſa hac a natione, e terrá ſubtili, ac pingui, igni coquuntur.

eximit, et in alio collocat. Tum enim alter fulguris instar suo ex antro prosilire, ultro citroque commeare, inimici vires explorare, mox ipsum morsibus adgredi tam acribus, ut squamae hinc inde decidant. Mutua ut plurimum ora adoriuntur, valide adeo se implexos commordendo tenentes, ut simul se in profundum trahant, nec facile intra horae quadrantem se demittant, et modo hic, modo ille supernatet. Ad dirimendam inter ambos litem, eximendus est phiala pisciculus, suumque ad antrum reponendus. Atque hoc exhibitum bellicosis istis de pisciculis spectaculum plura subinde florenorum millia per annum consumit.

Praeterea plures sunt inibi lacus compluvii, aquam, ad plantas arboresque irrigandas, necessariam colligentes. In cisternarum harum medio ingens prominet saxum, supra quod plantatum est arbustum illud celebre, quod lapidi vivo, et aquae impositum, semper viret, terrae vero mandatum, paucos intra dies emoritur.

Inde secundum ad murum devenitur, primo humiliorem, juxta quem ambitus, lateribus stratus, tecto defensus, columnis distinctus tempore pluvio ad deambulandum accommodatus. Quatuor sunt ibi portae, murum altitudine adaequantes, a *Nigris* custoditae. Ultra si fueris progressus, amplum denuo spatium. Primum occupant locum Principes regii; alterum Regis consanguineae; mares enim, cognatione eum adtingentes, extra palatium habitant.

Tum conspiciendum se praebet Concubinarum aedificium, sacrarum nostrarum virginum monasterio haud absimile; quod unum dumtaxat ambitum, unamque contignationem complectitur. Foris praeter murum, portas, parvum ambulacrum, et tectum, et columnis suffultum, nil omnino videtur. Concubinae cujusvis domum murus, ab altera separat. Fores omnes, ad ambitum spectant, solo-

ſoloque peſſulo clauduntur, ne Rex easdem pulſare cogatur. Domui contiguum eſt ſpatium, paſſus octo non excedens; ad cujus dextram Regis cubile, magnifice adornatum, ac ſi indies eo iret cubitum. Unica e feneſtra patet proſpectus in hortulum, muro undique obſtructum, ne quis introſpicere, Regemque videre poſſit. Id quod foret grande nefas, et morte piandum. Ibidem concubina plantatos conſervat floſculos varios, Regi eam adcedenti offerendos. Ad ſiniſtram cubiculum eſt concubinae *a*). Praetenſum lecto velum, idque *carbaſinum b*), flores aurei diſtinguunt. Famularum dein occurrit domicilium, culina &c. Atque hunc in modum exſtructa ſunt feminarum omnium, quibuscum Rex occubat, habitacula, hoc tantum cum diſcrimine, quod eae, quae tamquam dominae, ac Reginae coluntur, loco et ampliore, et ornatiore fruantur.

Secunda e regione conſcenditur ad tertiam, quae proprie *Regia*, et Regis ſedes, quinque ex aedificiis componitur: Haec inter domus, quae ab altitudine nomen habet, tres continens contignationes, in faſtigio turrim exhibet, ſpeculae officio fungentem: Inde enim non tota modo inſula, ſed omnis, quae longe, lateque porrigitur, vicinia, eaque jucundiſſima, fluviis, qui crebris curvantur flexibus, diviſa, conſpicitur. Nullus auguſtis hiſce in aedibus lapis, calx nulla, caementum nullum. Pretioſiſſimis e lignis conſtant omnia (columnae ſunt citrini, rubrique coloris) ſecundum architecturae regulas affabre confecta, ſculpta, expolita, adornata. Diceres, ſuperbam hanc fabricam theatro celebratiſſimo ſimilem, cujus pavimentum cryſtallini inſtar ſpeculi reſplendet. E portis

a) *Amphithalamus*, cubilis genus; *contra thalamum poſitus. Vitruv. l. 6, C. 10.* ait: *dextra et ſiniſtra cubicula ſunt collocata &c.*

b) *Carbaſus*, genus lini mirae tenuitatis.

portis cubiculorum omnibus textilia dependent *ſtragula*, magnificis depicta operibus: In tecti culmine, declivibusque ejus angulis, formati alba ex argilla dracones pendulas e faucibus laminas exſerunt aureas, quae, vento ſpirante, gratam ad harmoniam concrepant. Rem paucis ut complectar; univerſa non ad uſum modo, ſed ad oſtentationem luxus comparata, ac ſane regia.

Praeter regalem hanc domum, ſunt tria etiam num palatia: vetus ſcilicet, quod regni *aerarium* ſolidiſſimis firmatum muris, Regum *Cochinchinae* omnium theſauros conſervat: ducentos circiter paſſus a novo, quod fuit modo deſcriptum, diſtat: Aliud ex adverſa fluminis ripa, habitatio eſt Regis, hiberna agentis. Tertium exſtat gynaeceum illud, ubi relictae defunctis a Regibus viduae morantur, viduitatem ſuam ad mortem uſque deplorantes.

§. 2.

Concubinae Regiae.

Hae *tres* in *claſſes* dividuntur: Ad *primam* pertinent Mandarinorum praecipuorum filiae, verae, e Regni ſanctionem, Regis ſponſae, ac Reginae. Quae prima prolem parit maſculam, praerogativam tenet, utpote filii, poſt patrem imperaturi, mater ſereniſſima. Hanc ſequuntur cunctae, filium, aut filiam gignentes: tum reliquae: ſecundum ſuae in Regiam introductionis tempus. *Mundus* iſtarum muliebris auro, gemmisque eſt diſtinctus omnis. Veſte utuntur purpurea, dracones aureos (quod Regis ſolius inſigne exſtat) acu *phrygia a)* pictos, oſtentantes: Zona cinguntur aurea: Crinem in vertice eleganter reflexum corolla ligat aurea *b)*: Faſcia, purpurae colorem refe-

a) *Phryges*, noti *Aſiae* min. populi, de quibus *Plin. l.* 8, *C.* 48. his verbis: *Acu facere, Idaei Phryges invenerunt.*

b) *Athenienſes* indigenae capillum habebant congeſtum in conum, cui cicadas ex auro fere innectebant. *Taubm. ad Plaut. p.* 17.

referens, flosculis pariter aureis, lapidibusque pretiosis illustrata, caput exornat: Dracunculus ex auro fusus miram fronti addit pulchritudinem.

Modestissimus autem est illarum habitus; praeterquam enim quod usurpent femoralia e tela albi coloris *attalica a)*, in plicas coacta, ad imos usque pedes defluentia, amictae sunt tunica, pariter undique sinuosa, quam fimbria ejusdem telae circumdat, aureos praeter flosculos, serico rubro internitente. Vestis haec est utrimque fissa, ita ut plicata femorum tegumenta aliquantulum transluceant. Indusii loco, et pectoris ornamenti, quod *pectorale* dicimus, induuntur *bysso b)*, triplicique vestimento serico: Unum est candidum; *carbasinum c)* exstat alterum; tertium *murice d)*, seu *ostro e)* tinctum, aequalis longitudinis, et medio circiter palmo brevius, quam *tunica;* hoc angusto instructum *patagio f)* aureus ad collum nodus adstringit. Superinduitur toga nullius in rugas, plicaturasque contracta, a summo usque deorsum aperta, quam ligula, in medio sedens pectoris, ne diducatur, firmam tenet. Manicarum longitudo facit, manus

a) Sericum, vulgo *atlas.* Vestes porro *attalicae* dicuntur etiam eae, quibus aurum est intextum. Cujus vocis etymon ducitur ab *Attalo*, Rege *Pergami* in *Asia* ditissimo, textilis hujus operis inventore.

b) *Byssus*, genus lini candidissimi, in *India* crescentis.

c) *Curtius l. 8, C. 9.* de *Indis* adserit: *Corpora usque ad pedes carbaso velant.*

d) *Murex* pisciculus ex conchyliorum genere, qui a piscatoribus lapide percussus, succum evomit, tingendis *purpureo* colore vestibus expetitum.

e) *Ostrum*, liquor violaceus, qui e muricis cochlea exemtus, aliisque admixtus coloribus, *purpuram* efficit.

f) *Patagium*, id quod summam ad tunicam adsui solet. *Festus.*

nus ut penitus contegantur a). Calceamenta sunt humilia, quae acu venustissime picta, parvum in acumen desinunt. Tibialia ejusdem cum femoralibus et telae, et coloris, infra genu ligantur. Dextra gerunt flabellum, sinistra sudariolum purpurea e sindone, cui duo adhaerent sacculi. In uno tabacum adservatur, ad ejus fumum fistula hauriendum, in alio folium aromaticum familiari cum fructu, *areca* dicto, qui dentibus conficitur.

Sic vestitae coram Rege comparent, aut vocatae, aut juxta officii sui partes, quas tribus per annum vicibus implere tenentur, nimirum ingruente anno novo lunari, die quinta lunae quintae, ac die Regis natali: Quo tempore una omnes renovant homagium, matre Principis, coronae haeredis, sermonem habente. A Rege dum invisuntur, exteriorem tantummodo sumunt amictum, protinus eum deponentes, facta more suo reverentia, quam flexis retro genibus considendo, caputque ter super manus inclinando, exhibent.

Sponsarum harum a Rege electarum ingressus ritu maxime solemni peragitur: Mandarini enim, aestu gloriae flagrantes, se invicem vincere dum adlaborant, dote profecto regia filias suas locupletant. Singula conductos per milites, per omnes, aut primarias saltem plateas deportantur. Occlusa in cistis (hae aureis a ligaminibus, a seris, a clavibus magis rutilant) literae majores, illis inscriptae, luculenter ostendunt. Longus hic, ac magnificus procedentium ordo integram plerumque per horam, et ultra producitur. Splendidam hanc regali luxu supellectilem sequitur sponsa non purpureo in rete, (quod sumtuoso obductum velamento, concubinis secundi ordinis est proprium) sed pulcherrima in aedicula, (huic fenestrae

a) *P. Africanus Pauli* filius *P. Sulpitio Gallo*, homini delicato inter alia, quae objectabat, id quoque probro dedit, quod *tunicis* uteretur, *manus totas operientibus*. *Gell.* L. 7, c. 12.

ſtrae duae, quas vela, Regis inſigni ornata, opacas faciunt) ubi incluſa ſedet, ac a ſex domeſticis parentum ſuorum famulis, velut auguſto in pegmate geſtatur. Ancillae, futuram ad familiam deſignatae, nuptialem hanc pompam finiunt. Deſponſa dein puella quatuor a matronis (quae aulae Praefectarum titulo gaudent) ab imis, ut ajunt, unguiculis ad ſummum usque verticem *a*) perluſtratur, ſiqua macula adpareat. Quae regium ad thalamum recipitur, quod ad formae ſpectat praeſtantiam, altera ſit *Helena*, eſt neceſſe.

Concubinis hiſce principibus eadem datur penſio annua, quae Regis filiabus, et haec perexigua: Nam praeter *Solidos* 100 *hiſpanicos*, ac oryzae modios 50 (quivis libras 120 continet) reliqua, cujusmodi ſunt ſal, piſces ſale conditi, atque ad ſolem exſiccati, vix ullius ſunt momenti. At rerum abundantia facit, ut alimenta pretio etiam viliſſimo emantur. Adhaec parentes cibos delicatiores illis transmittunt. Unicum, quo funguntur, munus eſt, fructum, hac in regione uſitatiſſimum (cui *areca* nomen) praeparare, Regi deferendum. Alternis unaquaeque menſibus hoc in officio verſatur. Eunuchi numquam ſoli cum concubinis Regis loquuntur, nec illas vident; ſed poſt cortinam poſitis coram concubina maiore praefecta, ſive cameraria, illis mandata Regis deferunt, illaſque ad extra tamquam vigiles cuſtodiunt. Rege defuncto, ſuum ad gynaeceum pergunt, vitam religioſae communitati propriam victurae. Quas promiſſas tam ſtudioſe aluerunt comas, reſecant; lugubrem ſumunt veſtem, e *xylino b*) contextam; (color fere ad cinereum accedit

a) Talos a vertice pulcher ad imos. *Hor. L. 2, epiſt. 2. v. 4.*

b) *Xylinum*, ſubaudi *linum*, a ξύλον, lignum, genus lini candidiſſimi naſcens in frutice; quod etiam *goſſypium* vocatur: Italice *Bambagia*; gallice *Cotone*; germanice *Baumwolle*; Luſitanice *Algodão*; Braſilice *Amanijú*.

dit) corollam, e globulis, quos *precatorias* nominamus, confectam, collo adpendunt. Sunt ibi, quae non solum Principis, a quo et amatae, et visitatae fuerunt, absentiam, sed et virginitatem suam continuo luctu prosequantur. Ab una militum cohorte custodiuntur; non eo tamen rigore, quo priore in palatio: Mater enim, sorores, consanguineae, et propinquae, quoties iis libuerit, adire ipsas possunt. Qui adcessus, dum in Regia degunt, non nisi data a Rege potestate, et rarissime permittitur.

Ad *secundam* Concubinarum *seriem* referuntur illae, quae ceu famulae honorariae Regi semper adsistunt; ei inserviunt; mensam, lectumque sternunt; cibaria condiunt; cupedias e saccharo confectas parant; crines pectunt, in nodum colligunt; Regem vestibus induunt, atque exornant. Has inter primatum tenet, quae Regio praeest vestiario, ac reliqua magis sumtuosa, uti sunt pelves aureae, pyxides, specula &c. conservat. Haec Matris titulo honoratur, ad demonstrandam ingentem curam, qua tum Regem, tum res majoris pretii omnes, ab eo aestimatas debet complecti.

Cum istis Rex familiarius conversatur: sunt enim Mandarinorum secundae, aut tertiae classis filiae; nec iis, quae in regno recepta sunt, solemniis jugali vinculo adstringuntur. Habitus earum nec aurum, nec purpuram, neque colorem rubeum admittit. Fascia distinguuntur nigra, rosis argenteis condecorata. At quae camerae est praefecta, ornatum adhibet matronalem, auro coruscum.

Concubinarum harum filii gaudent privilegiis aliorum, qui a regii tori consortibus, primi ordinis, pariuntur, atque *Domini* juxta tempus, quo sunt in lucem editi, nuncupantur. Sic, qui primus nascitur, *primus* vocatur *Dominus;* alter, *secundus;* atque ita de reliquis. Prol nulli regiae patet publica ad officia, et dignitates aditus, ea potissimum de causa, ut seditionum viae omnes intercludantur.

Ad *tertium* Concubinarum *gradum* evadunt cantatrices. Hunc in numerum plebejorum omnium filiae possunt admitti: neque est impedimento, quod canit Poëta:

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi a).

Hic derivatus a *concubitu* titulus minus proprie iis convenit, cum raro admodum Rex ejusmodi puellis utatur. Tamen propter singularem quampiam naturae dotem, quadam usurus, ad secundam prius feminei hujus collegii classem ea cooptatur, ut nascituri ex ipsa liberi legitimi habeantur.

§. 3.

Musica. Mensa regia. Comoediae.

Ex officio hae cantatrices diebus per annum solemnioribus festivam in aula musicam producunt, seu quando Rex mentem suam a contentione cogitationum, suavi quadam symphonia ad tranquillitatem cupit traducere. Quare tanta, quanta maxima esse potest, diligentia, annis singulis, universum per regnum conquiruntur puellae, a vocum nervorumque cantibus insignes. Eaedem a suis, quae pulsant, instrumentis, *citharistriae* et *tympanistriae* compellantur. Tympana sunt ex corio. Et his, et campanulis, et laminis, et tabellis ligneis ludunt dexterrime.

Musica, magnum edens strepitum, alteri, quae blanda, ac minus est sonora, praefertur, ex eo, quod illa majestatem exhibet majorem; non sine grata auribus etiam *Europaeis* harmonia! Rex modernus ista etiam, ac molliore delectatur musica. Coram eo P. *Koffler* sub initium sui in aulam adventus frequenter lusit. Omnibus prae instrumentis placuit illud, quod *Viole d'amour* adpellatur, nodi majoris pandura. Citharam, quae pectine percutitur,

a) Juven. *Sat.* 3. v. 164.

tur, amoenum quidem, sed muliebre nominavit instrumentum. Tibia, quam non pauci utcumque callent, Regi res nova non exstitit; miratus tamen est summopere, ubi Patrem duas simul inflantem percepit.

Regis epulum omni opulentia adornatur. Centum quotidie ferculis mensa instruitur. Scutellae, aliaque vasa, convivio propria, e terra sunt, vulgo *porcellana*, tam *sinensi*, quam *japonensi*, aureis a circulis refulgentia. Plures insuper dapes, quas Mandarinorum illustriorum conjuges ipsaemet praeparant, ad palatium mittuntur.

Neque desunt comici. Hi quatuor in coetus divisi, statutis per annum diebus, aut quoties Regi placitum fuerit, sua exhibent dramata, exquisitis omnino historiis in argumentum adsumtis, nostrorumque in *Europa* Principum ludos scenicos conantur imitari.

§. 4.

Elephantum exercitatio.

Quae ad animi relaxationem spectant, Rex quidem ea seligere adsolet, genio suo magis arridentia. Duae nihilominus oblectationes sunt, Regni juxta consuetudinem, ipsi adsignatae: Quarum una est exercitium, quod ab *elephantis* nomen sumit. In his capiendis dispersi per provincias venatores occupantur. Modus autem, istos comprehendendi, haud est difficilis. Elephas femina, cui magister ejus insidet, ad silvam contendit. Strepitu hoc excitatus elephas mas, dum marem alium contra se venire, suspicatur, horribilem edit barritum; praepropero gressu suum adversus inimicum in arenam progreditur; cornua obvertit; ad resistendum se parat. At opinione sua deceptus, feminam transire ubi advertit, mox ferocitatem deponere, praecedentem eminus subsequi, irretortis in eam oculis viam observare. Tum director bel-

luam

luam feminam (haec ſtatura multo minor, caret etiam dentibus) ad ſtructam de induſtria aediculam deducit. Ejusdem ad introitum ponticulus eſt anguſtus, ſub quo prope oſtium, laqueorum, et catenarum nexus abſconduntur. Aſſeres locum hunc contegunt, qui removentur, ut primum directa ſuo a duce bellua tranſierit. Elephas mas, animal etſi admodum ſagax, cupiditate tamen, altero cum ſexu congrediendi, ſtimulatus, parvum transgreditur pontem; ad fores ſubſiſtit; omnia undique perluſtrat, utrum quidam alius praeter feminam adſit. Nam vel uno etiam homine praeſente (quae innata ei verecundia eſt) congreſſum numquam tentat. Neminem proin adeſſe, exiſtimans, magno impetu in feminam irruit, ſimulque in foveam prolabitur. Conſidentes in dumeto venatores derepente conſurgunt; ex inſidiis advolant; vincula magis conſtringunt; exoptata de praeda ſibi gratulantur.

Non una vice jam accidit, (aut venatorum fuit incuria ſeu nimia animalis ferocia) ut catenis diruptis, rapidiſſimo aeſtu aufugiens, ingentem in via ſtragem ederet. Tunc enim belluae agitatores fugitivam lanceis inſequuntur, quae ſuis de hoſtibus vindictam ſumtura, quidquid ſibi obvium fuerit, jumenta aeque ac homines proſternit, proterit, contrucidat. Hac in fuga in flumen, ubi hoc adſequi poteſt, ſe agens praecipitem, quam celerrime (nec obeſum obſtat corpus) illud tranſnatat. Sic dies ſubinde labuntur, quoad defatigata curſu, aut a venatoribus, ſive ab aliis, qui in ejus vitam conſpirarunt, interſiciatur.

Sin vero e voto ſuccedit opus, aliquot per menſes tum fame, tum crebra capitis percuſſione elephas adeo cicur redditur, ut gubernatorem, dominum ſuum agnoſcens, ei morigerum ſe oſtendat. Sed terreri levi de cauſa cum ſoleat, primis idcirco hebdomadibus, quando

ſuo

ſuo cum moderatore in publicum prodit, duo ſemper famuli obverſis lanceis antecedunt, ut ferocire incipientem illico aut interimant, aut graviter ſaltem vulnerent. Magna dum eſt animalis hujus ſolertia, continuo id, quod edocto ab elephante fieri ſolet, imitatur *a*). Major tamen eſt in uno, quam in altero docilitas. In hoc ſita eſt ſola difficultas, ut propoſitos ſibi a magiſtro loquendi modos condiſcat.

Totum ejus robur in proboſcide conſiſtit; hac enim potiſſimum pugnat; hac ſe defendit; hac cuncta, quae comedit, in fruſtra comminuit, convolvit, orique immittit; hac herbas, quas prius pede radicitus e terra evellit, a ſordibus, pulvere, formicis, aliisque vermiculis liberat, aliquoties ſuper pedem illas decutiendo, ut, quae immunda ſunt, decidant; hac aquam haurit, tam ad potandum, quam ad ſe lavandum. Rem paucis abſolvo. Inſtrumentum eſt praecipuum, quo functiones plerasque perficit: Hoc ſi vulneretur, aut mutiletur, elephas ad omnia inutilis, facile cuilibet ferae ſuccumbit. Atque haec cauſa eſſe videtur, cur congredi cum tigride tantopere perhorreſcat; quae ſolam nititur proboſcidem deprehendere, eam qua ungulbus, qua dentibus ut dilaceret. Quare aulico in atrio (quod Regis oblectamentum eſt) elephanti omnes, unam contra tigridem ubi emittuntur, ei prius dentes evellunt, faucesque *camo b*) obturant, ne illos ſaucians, in rabiem agat, magna adſtantium clade: Nihilominus rarum eſt reperire, qui ſponte ſua tigrim adgrediatur.

§. 5.

a) Mira ſunt, quae de ejus ingenio, indole, ac adprehendendae doctrinae facilitate auctores prodiderunt. *Sueton. in vita Caeſar.* inquit: *Novum ſpectaculi genus, elephantos funambulos edidit.* De choreis elephantum, et ſaltatione ad numerum *Mart. l.* 1. ita habet: *Et molles dare juſſa choreas*
Nigro bellua nil negat magiſtro.

b) *Camus*, genus aſperi freni; *graeca* a voce κημός, capiſtrum.

§. 5.

Tigridis venatio.

Recreatio Regis altera, quae magna peragitur ostentatione, est *ferae* hujus saevissimae, ac *velocissimae a)* insectatio. Venatores (horum magnus est numerus; in aula dumtaxat sex sunt eorum cohortes) modo hanc, modo illam percurrunt silvam, omnia indagantes, utrum tigridis vestigia, quae facillime dignoscuntur, alicubi offendant, His repertis, mox cuncti eo se conferunt; retia extendunt; bestiam sensim includere satagunt; adponunt certo in loco escam, num haec famelica a fera (cui narium est sagacitas maxima) absumatur, conspecturi. Qua absumta, novam indies collocant, horridumque animal arctius semper constringunt, non nisi passuum 500 spatium, toto in circuita ei relinquentes. Post arbusta undique exscinduntur: solum in silvae centro, ibi se abscondere ut possit, locus pro cubili remanet.

Notitia dein capta de tigride ad Regem defertur. Quamprimum illuc milites expediuntur, praealtam e ligno domum (omnia hunc in usum jam promta habent, suis distincta numeris) acclivi in loco exstructuri: ut inde singula a Rege dilucide conspici valeant. Mandarini praecipui suas pariter aediculas jam hic, jam ibi erigi curant. Tabernas pariter ponunt caupones, quaecumque reperiri possunt, cibaria hanc ad silvam convehentes. Tum regiis significatur Mathematicis, diem serenum, aptamque horam venatica hac pro oblectatione ut seligant. Et vae iis, dies nubila, pluvia, aut tempestas si ingruat! Non quidem in cute, sed in aere luunt, persolventes fisco 30, 40 imo 50 solidos *hispanicos*. Quapropter libros astrologiae

a) *Fera*, sive *Tigris*. Vocabulum e lingua *Armenia*: Nam ibi et *Sagitta*, et quod vehementissimum flumen, dicitur *Tigris*. *Plin. l. 6, C. 27.* de *Tigri* fluvio: *A celeritate Tigris incipit vocari.*

logiae suae proprios (quae *judiciaria*, seu *planetaria* dicitur) diligentissime consulunt; observationibus dant operam; diem, et horam adsignant. Astrologus (quem ordo tangit; in cujus mensem venatio isthaec incidit) ante palatii fores clepsydram manu tenet signoque per eum dato, Rex, confestim, magnifico instructus comitatu egreditur; superatoque flumine, pedestrem per viam pergit; quae si inculta, ac interclusa frondibus, et virgultis fuerit, omnia prius resecantur.

Adveniens paulisper quiescit; variis cum bellariis potum sumit consuetum, ex herba, quam *thee a*) vocant, praeparatum; considet in medio, habens ante se vexillum regni purpureum, aureis literis, nomen regium exhibentibus, insignitum: Hoc in itinere a signifero aulae (qui est unicus) praefertur. Nulla hic signa militaria: Quaelibet provincia conservat unum, sibi proprium. Adstat insuper tympanum, quod Rex (simul ut Astronomus signum dederit, inchoandae venationis adesse tempus) tribus distinctis vicibus pulsat, ut cohortes militum omnes designatam sibi stationem occupent. Tertius autem pulsus ubi auditur, venatores ad pugnam se accingunt: Id quod Rex conspiciens, vexillum ter circumagit, et illi ter festive adclamant. Mox Musicorum, qui sinistra e parte, expansa prope retia consistunt, instrumenta percipi; pulsari tympana; cymbala concuti; inflari tibiae; litui clangere; bellicae varii generis fistulae resonare. Sub idem tempus venatores, in duos redacti ordines, arma etiam sua capessunt. Pars oblongas gerit furcas; pars falcibus armata contra hostem procedit: Illi bidentibus frutices inflectunt; hi istos tamdiu in frusta secant, donec bestia, strepitu propinquo excitata, suo e latibulo prosiliat; angustioribus coarctetur limitibus; hinc et inde plane attonita discurrat, nec ultra habeat, ubi se possit occultare.

Vice

a) *Lusitani* dicunt *Cha.* Vid. infra Adpendix, num. III.

Vice ultima P. *Koffler* cum adesset, tigrides duae, non spernendae magnitudinis adparuerunt. Coloris erant subflavi, rubris partim maculis, partim nigris eleganter a natura depictae; mas, et femina utraque ferocissima: Una cursu tam citato recta regium contra aedificium tetendit, ut non modo positos ad capturam laqueos transilierit, sed parum etiam abfuerit, quin infixas ibidem *perticas a)* superaret. *Nigrorum* quidam furca eam retinuit, ac vulneravit. Sensit fera inflictum vulnus: majores proin in furias acta, et venatores (etsi bicornia obverterent arma) imperterrite adgressa, duos ex iis subito impetu prostravit. Rex periculum advertens, vexillo circumacto indicavit, ut furibunda, quocumque demum modo fieri posset, occideretur. At cum eodem tempore tigris mas in casses deciderit, femina paulo post tantas est in angustias adducta, ut *plagis b)* etiam impedita perstiterit. Continuo trina cunctarum cohortium acclamatio. Renovatum est, quod olim Poëta cecinit *c)*:

Tum plausu, fremituque virum, studiisque faventum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant
Litora: pulsati colles clamore resultant.

Rex dein ferit denuo tympanum. Quae irretita fuit tigris, solvitur; soluta praegrandem in cistam, transversis e lignis compactam immittitur, tamdiu conservanda, donec ad aulam deportata, ibidem nutriatur, sua cum elephantibus pugna jucundum Regi spectaculum praebitura. Et venatores, et spectatores ceteri sua adeunt tuguria, edunt, bibunt, tripudiant, porta de hoste victoria laetantur. Statuta demum ab astrologo hora, Rex eadem

a) *Pertica* baculus oblongus, quo alias fructus decuti solent.

b) *Plaga*, rete. *Servius* scribit, *plagas* proprie illos funes dici, quibus retia tenduntur circa imam et summam partem.

c) *Virg. Aeneid. 5, v. 148.*

eadem, qua venit, pompa redux, cuivis cohorti venatoriae decem *solidos hispanicos* in praemium elargitur.

CAPUT IV.

De Regimine.

§. 1.

Mandarinorum tres classes.

Ad *primam*, qui spectant, *regni proceres* vocantur, primique a Rege, magistratum gerunt. Quaelibet autem classis denuo dividitur. Alii *militares* sunt Mandarini, *litterati* adpellantur alii. A statu uno ad alium transitus non conceditur. Dicuntur vero *litterati*, non quasi, militiam qui sequuntur, forent rudes; quin potius, quia hi gladio, illi calamo regnum defendunt. Nobiliores sunt *militares* ex eo, quod plerumque Mandarinorum filii bellicae dignitatis gradum adipiscuntur. At *litterati* ut plurimum plebejo ex ordine ad illustria isthaec officia adsumuntur. Hi enim prae reliquis litteris operam navant; ad eleganter scribendi studium se conferunt; scientiam juris desiderant; adplicant se ad Medicinam, ad Arithmeticam, ad Astrologiam &c.

Quinos in annos periculum fit studiosorum eruditionis: Omnes totius regni aulicam ad urbem se conferunt, ubi octo, decemve dierum spatio, examen hoc modo instituitur. Cum *Cochinchinenses* sua in *dialecto*, *Sinarum* instar, vocabula certis e litteris, sicut aliae nationes, non componant; sed omnia apud illos verba litterae sint, et vicissim, quae variis signis, lineis, punctis, figurisque, ut ita dicam, hieroglyphicis exprimuntur, is candidatis aliis praefertur, qui plures scit litteras, sive voces; tunc enim hunc non paucos jam libros pervolvisse, est indicio. Litteratorum in aula princeps, cui

cui studentium ingenia expiscari incumbit, diversa litterarum schemata inter eos distribuit. Magistri omnes unam in domum compinguntur, ne litterarum *griphos* discipulis valeant dissolvere. Ad diem praefinitum adsunt examinandi. Qui genuinum juxta sensum litteras optime interpretantur, Mandarini evadunt: Quidam spe creationis, aliud in tempus differendae, lactantur: Alii (et horum pars est plurima) rejiciuntur. His, si qua conferatur gratia, solummodo permittitur, ut in oppidis infimam possint scholam habere.

Facta hac de litteris, litterarumque cultoribus digressione, ad primi subsellii Mandarinos revertor; quos inter Regis patruus, qui et *Regni Custos* salutatur. Hoc defuncto, dignitas cessat, Regisque frater nequit succedere, nisi ab ejus obitu. Sequuntur *domini* quatuor, qui a *manu regia*, *dextera* aeque ac *sinistra* nomen sortiuntur. Duo sunt intimi, sola provinciae aulicae negotia tractantes: *Externi* totidem vocantur, qui aliarum provinciarum res administrant. *Quatuorviratui* sunt proximi Proreges septem, triremium regiarum Praefecti tres.

Principem litteratos inter locum obtinet politiae magister, legum insuper, Religionis avitae, tabularumque publicarum conservator, quem omni civilium commutationum scientia imbutum esse oportet. Hanc enim personam sustineat, casus omnes, maxime intricatos resolvit; cui ne ipse quidem Rex potest contradicere: Huic adstant supremus sanctioris concilii Scriba, ejus Vicarius, summus regni Judex, aerarii Praeses, qui est Eunuchus: cuncti consiliorum secretiorum participes.

Litteras qui profitentur, pileos usurpant, doctoribus proprios, aureis a perergis magis conspicuos. Militiae adscripti caput recurva operiunt galea; cui pili equini, nigro imbuti colore, flosculi ex auro fusi, lapides pretiosi, hac illac dispertiti, majorem adhuc splendorem accessunt.

cessunt. In pectore, ac dorso leonem gerunt aureum: Rex e diverso praegrandem alatum draconem, opus auro splendidum, acuque pictum: universi autem eodem, quo Rex, modo zonas aureas.

In *altero Mandarinorum* dignitatis *gradu* sunt collocati gubernatores propugnaculorum, limitum, portuum, tribuni, protribuni, scribae provinciales, Inspectores navium, commercii, Praesides, tributorum conductor, Mandarinus *aureo* ab *ense* qui adpellatur, ac est summus in aula justitiae minister, cui exsecutiones omnes, bonorum publicationes, supplicia de criminosis sumenda committuntur. Quoad viam juris, contra primi, ac secundi ordinis Mandarinos procedi nequit, nisi prius exauctorati, plebejum ad statum reducantur.

Tertium occupant *locum:* signifer aulicus (iste hac in serie primatum tenet) venationum praefectus, cuncti centuriones, Eunuchi, Medici, et Mathematici regii, syndici locorum, ac satrapae, quorum ingens est numerus. Qui sunt ex hoc, et praecedente numero militares, galeam gestant, argenteis flosculis, diversisque (secundum suam quilibet dignitatem) animalium quadrupedium figuris decoratam. Tribuni se distinguunt, habentes leopardum: centurionibus est tigris &c. Litterati praeter pileum (de quo supra) vario volucrum genere superbiunt: Hi ostendunt pavones; illi cygnos; isti ciconias; aves alias alii.

§. 2.

Eunuchorum auctoritas.

Magna est isto in regno, sicut in reliquis *Asiae* regionibus, horum existimatio. Non est certus eorum numerus; sed Rex pro libitu hos eligit, qui ad concubinarum tutelam praesertim enutriuntur. Tres sunt praecipui, qui honorificentissimo in aula officio funguntur. Primus (cui

summa

summa regni thesaurorum cura est demandata) colligit stipendia; dispendit tributa; sumtus facit concernentes tum ipsum Regem, tum familiam regiam, concubinas omnes, ac reliquos utriusque sexus intra palatium habitantes. Tanta autem pollet auctoritate, ut Rex sine ejus consensu nihil communi ab aerario possit abalienare. Dignitas haec Eunucho seniori, adhuc vegeto, est propria: Aetas decrepita, sive morbus eum inhabilem si reddat, alter quidem natu major succedit; praepinguis nihilominus spartae hujus proventus penes primum, quoad vivit, remanet. Alii duo praesunt commercio, qui soli aurum, ferrum, ebur &c. mercatoribus exteris divendunt, merces alias ad Regis usum coëmentes. Naulum iidem ac pecuniam vectigalem recipiunt: dona tum a navarchis, tum a negotiatoribus Regi oblata, ad eum deferunt: omnia denique navium negotia expediunt.

Universi (quae mira naturae dispositio est) eunuchi exstant ab utero, triplici tamen modo inter se distincti. Primas habent, quibus ubera sunt grandia, pectus feminarum more elevatum: hos enim et faciei decor, et pinguior corporis constitutio, et vocis canorae suavitas, et sermonis affabilitas, et genii jucunditas magis commendant. Perrari exstant, atque idcirco Regi admodum cari. Signum, quo litteratis a Mandarinis differunt, pileus est peculiaris, aurea rosa fulgens. Eunuchorum principi conceditur leo pariter aureus, cum candido colli ornamento, attalica e tela, tres digitos lata, utrimque supra pectus ad umbilicum usque defluente; quod alias solis a Regni optimatibus usurpatur.

§. 3.

§. 3.

Tribunalia tria; Consilium aulicum, militare, et capitale.

Coetum hunc ab *aula* nuncupatum constituunt primarii viri novem, et amplissimi, quinque scilicet militares, litterati quatuor, (Rex ipsemet praesidet) praecipua ubi negotia conficiuntur. Licet Regis unius dominatu omnia teneantur; nequit tamen nova imponere populo tributa, vectigalia: Concedere potest privilegia, tum loco, tum personae propria, dum modo ea bono communi (quod unice hic attenditur) non derogent: Haud valet solus denuntiare bellum, recentem introducere Religionem, receptas immutare consuetudines; quapropter Rex modernus (anno 1745, tunc aetatis suae trigesimo, regni sui septimo) alium inducturus vestitum, quo olim *Sinae* ante *Tatarorum* irruptionem utebantur, cunctis aulici procerum Senatus suffragiis hoc peregit, qui tanta dexteritate rem composuerunt, ut nunc abjecto sordido *Tunquinensium* vestiendi, agendique modo, *Cochinchinenses* cum quacumque Republica Europaea maxime exculta, possint conferri. Huc adcedit, Regem, cum quosdam videret imagines mulierum *Europaearum*, pectus nudum offerentium, illico eas abjecisse, dicendo: *Parum verecundae mihi videntur feminae vestrae, nuditatem suam publice adeo repraesentantes.* Hinc erat P. *Kofflero* respondendum, figuras similes pictorum esse inventionem, non genuini vestitus expressionem.

Consilium alterum, quod *bellicum* dicitur, constat e Proregibus Archithalassis, propugnaculorum, portuumque Praefectis, tribunis: Prorex senior est huic collegio praepositus.

Quotiescumque publicus in aula ad Regem patet aditus (hic fere ter per hebdomadem permittitur) palatii ad fores

fores confident Mandarini tres; unus ex litteratis, ex militaribus duo, quibus libellum supplicem porrigere quivis potest a): Hic ad Regem defertur. Supplicantis desiderio si non subscribatur, libellus continuo ei redditur, neque vana spe, ut alibi fieri solet, complures in menses, et annos prorogata, lactatur. Non magni igitur hac in re subsellii est consultatio. In provinciis id genus libellos accipit syndicus; acceptos tradit supremo, qui est qualibet in provincia, scribae, et hic Proregi.

Tribunal tertium conflatur ex iis, qui *capitalibus* de rebus inquirunt: Huic adsistit Mandarinus *ensis aurei* cum justitiae Ministris omnibus. Praeses est supremus regni Judex. Ad hoc capitis judicium causae, quae de criminibus agunt, devolvuntur omnes. Delictum quodcumque constitutam in Regni codice jam habet poenam. Sic praetores, a quibus superbe, et avare imperatur, qui subditos vexant; qui pecunias corradunt, capite plectuntur: Fures, ac praedones lanceis solent confodi: Venena sparsa, aliisque infusa, data philtra, laesae, quae nominant, crimina Majestatis, severius castigantur. Facinorum istorum rei elephantibus objiciuntur: Quidam solum proboscide levati de terra, ea compressi, enecantur: Alii hac a bellua in altum tam diu librantur, donec concussi, atque ad terram adlisi intereant: Alii hoc modo librati, elephanti dentibus excipiuntur, atque sic confossi, occumbunt: Non nulli solis proculcati pedibus, plura in frusta abeunt. Foeminarum, quae maritum, aut infantem occidunt, pectus lanceis duabus transverberatur.

Equulei, omniaque supplicia, ubi ferrum adhibetur, ab *ensis aurei* cohorte in aula exsecutioni dantur. Caeteris in provinciis, locorum, ubi reus capitur, incolae meritae

a) Admissionum magister jam olim aulica inter officia. *Ammian.* *l.* 15, *C.* 5.

meritas de eo poenas sumunt. Aulica in provincia latam sententiam Rex confirmat: Id quod fit sigillo adpresso, et traditione ensis, aut hastae, ipso a Rege facta supra dictae cohortis Mandarino; hic pro tribunali, quod publico in foro erigitur, sedet. Reliquis in locis senatus decernit sententiam, quae a Prorege dum confirmatur, illico oppidani imperata faciunt. Majora excipiuntur crimina, ad supremum in aula tribunal transmittenda.

Habent et pagi jus suum privatum, juxta quod seniores loci, suo cum Praeside, se suosque gubernant. Opifices etiam sunt in collegia distributi. Quodlibet praeter centurionem, ejusque vicarium, regunt tribuni quatuor. Hi occurrentes sedant rixas, inlatas componunt injurias, habitantque simul eadem in platea. A cujuslibet tribus arte fabrili, haec ipsa et nomen obtinet. Unde una est aurificum, altera sartorum; atque sic deinceps.

CAPUT V.

De Cochinchinensium figura, moribus, labore, dexteritate.

§. 1.

Corporis habitus.

Est *Cochinchinensibus* apta membrorum, partiumque omnium proportio. Staturae sunt fere mediocris; procerae, aut quae justam excedit, raro admodum. Et corporis pinguedine, et virium firmitate praestant. Facies alba, quodam simul rubore suffusa; sed agricolae, et piscatores, suum ferme domicilium in cymbis habentes, colorem prae se ferunt, castaneis haud absimilem, quippe vapore solis, ac caeli, qui ibidem permagnus est, adusti.

Naso,

Naso, et barba ab *Europaeis* discernuntur: Haec perrara est. Ubi lanugo erumpit, genasque tingit, infinitum suscipiunt laborem, ea magis ut eliciatur. Hanc mulcent, ungunt, nutriunt, hanc pascunt: at perdunt operam: promissam barbam, summum viri decus ne quidquam praestolantur. Num vero hic defectus soli naturae, aut soli climati, aut potius utrique sit adtribuendus, physico-doctiori dijudicandum relinquo. Nasus brevior aquilino; sed non simus, *Tunquinensium* faciem deformans. *Caesaries* utriusque sexus nigerrima, tanta colitur cura, atque excolitur, ut in feminis, ad calcem usque pedis, in viris genuum tenus, sit protensa. Capilli breves hominem de vulgi grege indicant.

Ungues crescere sinunt praeprimis litterati, in avitae nobilitatis suae signum, ac quaesiti numquam, labore manuum, victus. Sane harpyias referre videntur viri hi eruditi; quibus tamen ungues adrodendi materies uberrima suppeditatur. Rex dumtaxat manus dexterae digitum, quem auricularem vocant, habet non nihil longiorem, et acuminatum. Apud reliquos, praesertim viros, ac feminas honestiores, prominent quidem ungues digitorum omnes; sed minus, quam apud litteratos. Illos acuere, exacuere, gnaviter laborant. Quare continuo cultellis eos radunt, purgant, poliunt, quasi hac ratione, ornamentum manibus maximum adcederet.

Cuncti (plebe excepta, apud quam ejusmodi stultitia locum non habet) nigro colore dentes inficiunt. Cum enim quotidianus folii aromatici esus eos reddat subflavos, remedium hoc arripuere, magno cum cruciatu conjunctum: nam liquor} ipsos quo macerant, tantae est mordacitatis, ut irritati post dierum 14 spatium moveri omnes incipiant, ac consuetum, cibos subigendi, officium recusare. Quapropter toto illo, quo sponte susceptum hoc tormentum perdurat, tempore, solo se jusculo sustentant.

ſtentant. Menſe exacto, dentium redit firmitas, et non ebur antiquum, ac candidiſſimum, ſed coruſcans ebenum, idque nigerrimum, comparet.

Porro feminae hoc habent ſingulare, quod ſingulos in menſes ſupercilia radant novacula, relinquentes ſolum, fili, aut lineae inſtar, arcum nigrum, qui iis tanto eſt decori, quanto *Europaeis* ſunt *maculae ſericae a*). Unde colligitur, ſuam cuique nationi ineſſe dementiam, qua non tam naturam, quam ejus auctorem velle videtur emendare.

Femineus hoc in regno ſexus nil omnino cedit *Europaeo*, tum quod ad corporis pulchritudinem, tum quod ad caeteras animi dotes, modeſtumque publicae converſationis modum adtinet; Quod elogium Mandarinorum, aliorumque ingenuorum virorum uxoribus, filiabus, et concubinis praecipue convenit. *Polygamia* ſecundum regni leges licita cum ſit, concubinam hic agere, non eſt indecorum: licet unica re ipſa uxor legitima exſiſtat, ac vera mater familias. Verumtamen variis in locis, praeſertim maritimis in portubus, publica exſtant proſtibula, ubi complures abjectae plebis filiae venales ſe exponunt, turpi de lucro viventes.

§. 2.

Modus loquendi, ſedendi, comedendi, hoſpites excipiendi.

Vernacula regionis hujus lingua cum primis litterarum elementis, omnique fundamento careat, haud exiguam exteris faceſſit moleſtiam. *Cochinchinenſes* cum *Tunquinenſibus* linguae commercio quaſi cohaerent. Nationum ambarum dialecti, quas vulgus longinqua jam conſuetudine uſurpat, ſolum inter ſe differunt, quemadmodum lingua *Luſitana* ab *Hiſpanica b*). At ea, qua loquuntur Manda-

a) *Mouche*, que les dames mettent à leur viſage.

b) Vid. *Adpendix*, num. IV.

Mandarini, ab illa, plebejis familiari, toto, ut ajunt, caelo distat. Quocirca ei, qui in aula versatur, utriusque linguae notitia est necessaria, pro rustico haberi nisi velit, risuque explodi. Cum Rege autem sermonem collaturus, plures alios loquendi modos addiscat, oportet, soli illi proprios.

Ut plurimum pavimento insident, pedibus in decusses obliquis, *Turcarum*, *Persarumque* morem imitantes. Nomine tamen, et insignibus nobilitatis ornati, sellas, ac mensas etiam collocant. Prandendi, aut caenandi tempus dum instat, cibi adponuntur, plura in frusta jam dissecti; ossa carne exemta; spinae piscium sejunctae. Hanc ad escam duobus utuntur bacillis ex ebore, aut ebeno, sumenda ad juscula cochleari, argenteis ad bellaria furcillis.

Antequam cibum capiunt, os tantummodo eluunt. Quod repetunt toties, quoties per diem bibunt. Mensa autem soluta, manus aerea in pelvi, sive argentea lavare solent. Per aestatem tum ob mitigandum calorem, tum ad conservandam corporis munditiem, quotidianus fere est balneorum usus. Plebeji proximum ad fluvium pergunt, caeteri suis in aedibus lavacrum habent destinatum.

Advenientes hospites ad portam domus interiorem excipiunt eosque antecedendo, introducunt, et mox considere jubent, locum ad dextram digniorem offerentes, cum Asiatico *theae* potu. Abituros ad eamdem usque portam comitantur, capitis inclinationem repetentes. Neminem admittunt, exteriore nisi veste (quod hospitum venerationis est indicium) se prius induant: quam, si familiares sunt, utrimque deponunt, sub discessum eam rursus adsumentes.

§. 8.

§. 3.

Familia domestica. Oeconomia. Commercium.

Apud Mandarinos, aliosque locupletiores filii et famuli, filiae, et ancillae, juxta suum quisque sexum, separati degunt. Ii solum, qui domestica conflictantur difficultate, curta quibus est supellex, vivunt conjuncti. Sunt munditiei domus tam amantes, ut numquam super pavimentum exspuant. Hinc rotunda in vasa, ex aere pereleganter facta, sputum conjiciunt; plerumque vero vascula usurpant minora, eaque argentea, juxta se, lectosque suos, abacis imposita.

Commendantur potissimum oeconomica ab industria. Tam sedulo enim rem familiarem administrant, ut rara sit domus, quae egestate prematur. Hanc ob causam tempestive hoc in regno matrimonium incunt. Et licet tam de viris, quam de feminis hic universe dici possit, quod ad laborem nati, otium ceu familiae pestem fugiant: Hae tamen illis palmam eripiunt ob innatam in augenda re domestica dexteritatem, quam teneris ab annis imbibunt, dum a matribus edoctae, continuo manuum labore distinentur. Artis textrinae adprime gnari, telam e gossypio, sericoque conficiunt elegantissimam: hanc acu pingunt, hanc variis tingunt coloribus. Quam optime norunt praeparare varii generis bellaria, panem, aliosque fructus durato condire saccharo &c.

Rem paucis: Quaestum, quacumque e re is provenire potest, nullum negligunt. Siquidem hae mercaturas proprie exercent. Quo ab onere ne primariorum quidem Mandarinorum uxores sunt exemtae. Mulier, otio dedita, ab omnibus ceu iners, ac stupida vilipenditur, et quasi mortua habetur. Viri arant; mulieres secant; hi campos excolunt, istae *Nicotianam* (quae et *Indica* et *sancta* nominatur *herba*, curandis apta vulneribus) ac

gossypium

gossypium plantant. Mares publicis in officiis occupantur; milites, venatores, opifices, et piscatores agunt: Feminae in foro, in nundinis, in mercatorum variis e locis adventantium officinis, sua tractant negotia, opimi lucri haud expertia. Navigia enim vero saltem 80 *sinica*, quae anno quolibet diversis adsunt e provinciis, commercium indicant florentissimum, quibus adcedunt naves *Macaënsium*, *Batavorum*, et *Gallorum* complures. Lucrum isthoc adauget mutuus provincias inter ad austrum, et septemtrionem conversas contractus: Terra enim, marique merces ad praecipuam regni civitatem asportantur, distrahuntur, aliaeque coëmuntur.

§. 4.

Artes mechanicae, et liberales.

Viri quoque laudem suam, nec sine causa promerentur: sunt hi admodum docilis, ac perspicacis ingenii. Eximia artis Europaeae opera (horologia si excipiuntur) strenue imitantur: Ad quae (res admiratione certo digna) adhibent instrumenta non modo perpauca; sed et, si cum nostris conferantur, nullius pretii, ac sane ridicula. Pixides vulgo tabacarias, gladiorum manubria, annulos, inaures, monilia tam exacte conficiunt, ut aurificis Europaei opus ab ejusmodi artificio *Cochinchinensi* difficulter discernatur. Immo in operibus, quae *filatim a)* ex argento, aurove componuntur, *Europaeos* antecedunt. Fabricantur navigia; exstruunt aedificia, juxta architectonices suae regulas exactissima. Campanas, fistulas ferreas longiores, tormenta fundunt aenea quam perfectissime. Charta fit ex arborum corticibus. Penicilli calamorum explent vicem. Typographia ligneis e tabulis constat, quibus characteres incidunt.

Eximium

a) Gallice, *filigramme*, ouvrage d'orfevre en petit fil d'argent, ou d'or.

Eximium vero artis suae edunt specimen in obducendis vernice arculis, tam praeclare formatis, politis, expolitis, ut eae speculi pellucidissimi, et similitudinem referant, et certas considerantibus reddant imagines: sunt hae ipsae tam vivis pictae coloribus, ut ars naturam non solum imitari, sed etiam propemodum superare videatur. Amoenae hinc progerminant plantae; opacae illinc prominent arbusculae; modo multicolor flosculorum exprimitur varietas; formosissimae modo avium figurae exhibentur. Haec autem omnia, auro, argentoque praefulgentia, ad Opticae leges perfecta, sunt oculis, qui nitidissimis hisce picturis suavissime tenentur, error longe gratissimus. Eodem tam nativo colore pyxides repraesentant, abacos, et his similia. Summam quoque sibi gratiam conciliant res aliae, non minus pretiosae, ac curiosae, e testudinum testis, e margaritarum conchis figuratae.

Liberales inter artes, quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur, Medicina, et Mathesis in pretio sunt apud *Cochinchinenses* maximo. In duabus hisce scientiis adquirendis studium omne collocant plurimi. Minime etiam negligitur Arithmetica, viris aeque ac feminis perfectissime cognita.

CAPUT VI.

De Religione, et Cerimoniis.

§. 1.

Festorum celebritas.

Quae primo anni lunaris die occurrit solemnitas, est omnium celeberrima, quippe haec universo in regno celebranda, communem ad laetitiam, et exsultationem fuit a majoribus instituta. A Rege, a Mandarinis tum primi, tum

rum secundi ordinis, plerumque per dies 20 continuos, a reliquis per triduum agitur. Ante portas omnes et Regiae, et palatiorum, et domuum praealtae eriguntur perticae; Harum in cacumine sese adtollunt rami virides, in fasciculum collecti, aut arundines (quas alio etiam nomine *cannas* adpellant) magnam hic in altitudinem crescentes, relictis solum aliquot in apice ramis, *Majalium* ad instar in *Europa* arborum. Gentiles varia addunt ornamenta; quae sunt *charta* a), auro, argentove leviter tincta, manipulus straminis, parva corbis, cui pecuniam injiciunt, ad felicem, quem optant, annum a caelo emendum. Solemnis hic actus superstitione haud caret: Perticae enim certa adsurgant hora, est necesse, alia, quae destinata est, reponendae. Inde fortunam prosperam, sive adversam, quam novus adferre annus potest, praesagiunt. Quare si adcideret, perticarum aliquam aut vento dejici, aut alia ex causa fortuito cadere, mox (se falli, et illudi nequaquam posse, certissime sibi persuadent) quendam ista e domo, aut familia, anno illo moriturum, conjiciunt. *Christianis* arboris hujus erectio permittitur, sed sine religionis vanae signis, et gentili perticarum ornatu: laetissimam enim revocat memoriam *Cambodionorum*, olim *Cochinchinae* e finibus ejectorum; de quo *supra* b) actum est.

Toto hoc tempore laute comeditur; non parce bibitur; hilariter luditur, et saltatur. Rex per dies tres, non interruptos, Mandarinis omnibus solemne parat in aula convivium c), a quo nemini gravissima sub poena abesse

a) Idem agunt *Tunquinenses*, qui putant, *chartae* hujus motu, verti in fugam daemones.

b) Vide *C.* 1, §. 1.

c) Majores nostri adcubationem epularem amicorum, quia *vitae conjunctionem* haberet, *convivium* nominarunt. Ita *Cic. de Sen. C.* 13.

abesse licet. Idem faciunt Proregea suis in provinciis. Atque sub idem tempus defunctis pro patribus, decessoribus, parentibus, Magistris, et natu majoribus mensa ponitur cum exposita ibidem tabella, ubi eorum nomina, capitalibus depicta litteris, leguntur, coram qua tota se familia prosternens, trina corporis inclinatione eam veneratur *a*).

Cultum hunc (offerre cibos, fidelibus numquam licuit) Patriarcha *Alexandrinus b*), Apostolica a Sede, ad examinandos hosce ritus, *sinense* ad imperium 1719 missus, permisit, judicans, eum superstitionis speciem non prae se ferre; sed intra civilium, et politicarum consuetudinum limites contineri. Quae permissio dein fuit a *Benedicto XIV* revocata *c*). Praeviderat Patriarcha praesentissimum Religionis periculum, magnam fidei stragem, multorum millium animarum ruinam. Hoc ob interdictum tam in *Sina*, quam in *Cochinchina*, jam Mandarinorum nullus, nemo e senioribus oppidorum, pagorumque Praepositis, nec ullus e militibus, Christi doctrinam amplectitur.

Anno

a) Eadem invaluit consuetudo apud *Tunquinenses*, qui tunc defunctorum animas domum suam revisere, arbitrantur, ac triduo eam non purgant, ne reduces altero ex orbe hospites offendantur. *Ex Relat. P. Marigni.* Solemnis etiam fuit apud veteres, cum aliquis obiisset, formula haec: *Abiit jam, et reverti debet.* Numquam enim ominis causa, et δυσφημίας vitandae gratia, *obiisse*, sed *vixisse* mortuos, dicebant.

b) Erat is *Carolus Ambrosius Mezzabarba.*

c) Edita Constitutione: *Ex quo singulari providentia*, 11ma Julii 1742. Vid. Fasti Novi Orbis et Ordinationum Apostolicarum ad Indias pertinentium Breviarium, cum adnotationibus. Opera D. *Cyriaci Morelli*, Presbyteri, olim in Universitate Neo-Cordubensi in Tucumania Professoris. Venetiis, 1776. 4 mai. pag. 567. *M.*

Anno ineunte, mos dandae aliis ſtrenae, pariter viget, offeruntur autem porci, altilia, ova, poma aurea, panes ſaccharo conditi, aliaque id genus gulae irritamenta. Haec Mandarini ferunt Regi, ac Proregibus, belli ducibus milites, Medicis infirmi, Chriſtiani Miſſionariis, diſcipuli magiſtris, filii parentibus, patronis ſuis clientes. Dona a P. *Koffler* quot annis Regi, primariisque Mandarinis offerri ſolita, exſtiterunt lagunculae duae, una vini aromatici, altera aquae, vulgo *Hungaricae;* paſtilli excitandum ad ſuffitum idonei; pilulae a *vita* nuncupatae; fabae a *S. Ignatio* adpellationem ſortitae *a)*; oculi, aut *lingulae* viperarum *Melitenſium;* pyxidula, quam vocant *apoplecticam; emplaſtrum cephalicum* et *vulnerarium.* Elapſis diebus 20, (quae feriae dicuntur majores) aperiuntur tribunalia; fides a ſubditis Regi praeſtatur; juramentum renovatur.

Quinta die lunae quintae parvus recurrit annus (quem etiam *novum* adpellant) et unica ſolum die, feſtum hoc peragitur? Menſis hic, *menſis* dicitur *regius* ob jejunium, ex voto inſtitutum pro Regis incolumitate, et communi regni totius bono: Eſt autem publica haec jejunii ſolemnitas nil aliud, quam abſtinentia recente a carne: Sale enim macerata comedi poteſt citra ſcrupulum, ac conſcientiae laeſionem. Menſtruum iſtud ſolemnis (ſi ita loqui liceat) inediae tempus ſervandum pariter eſt exteris, commercii cauſa, advenientibus, niſi velint, ſua ut bona, eaque omnia, fiſco addicantur. Eadem hac tempeſtate quemdam ſepelire, nefas eſt. Menſe *Septembri* (hic Regis natalis erat) denuo ab omnibus in aula homagium

a) *Manila, Philippinarum* in *Aſia* inſularum maxima hunc producit fructum. Is, alios praeter effectus, maxime ſalubres, alexipharmaticum eſt, ſeu remedium contra venenum; quod dum prima expertus eſt vice Miſſionarius quidam e *Societate Jeſu*; hinc *faba S. Ignatii* nominatur.

magium praestatur: Idem alter exstat *mensis regius*, quo mortuorum sepultura prohibetur.

Toto mense anni ultimo, vita functorum agitur commemoratio. Tum vero domi tabella Majoribus, qui olim vixerunt, exponitur: Novi indies adferuntur cibi: Adsunt *Bonzii a*), suo modo, *officium* (quod vocamus *defunctorum*, choro semper respondente) aliasque preces diu, ac noctu pro iis persolventes. Nec sine lucro, omnia poparum *b*) horum clamoribus personant; praeterquam enim, quod a patribus familias opiparis excipiantur epulis, bonam insuper suis pro functionibus, pecuniae summam coacervant: Quibus finitis, sepulchreta emundantur; Vestes tam papyraceae, quam sericae comburuntur, atque ad usum parentum suorum (prout sibi persuadent) aut propinquorum, alterum in orbem transmittuntur. Christiani dumtaxat restaurant coemiteria, verrunt, purgant; ab aliis autem ritibus superstitiosis omnino abstinent. Saepius etiam (praesertim in pagis, ac oppidis) loci senioribus certam largiuntur pecuniam, ne scilicet ad vetitas has actiones aut vi adigantur, aut nomina sua ad Mandarinos deferantur.

§. 2.

Nuptiarum Solemnia.

Necessaria primo, ac diuturna (uti et alibi fieri amat) praemittitur inquisitio. Tum filii, filiaeque parentes per procuratorem, seu procuratricem inter se colloquuntur, mutuam animi propensionem exploraturi. Utraque pars si concordet, filius cum genitore futurae sponsae patrem adcedit, sedentibusque aliis, humi prostratus, ter eumdem

a) *Vide hoc Cap.* §. 4.

b) Non est abs re, quod hacet *Prop. l.* 4. el. 3. *v.* 62. *Succinctique calent ad nova lucra Popae.* Sumitur etiam *Popa* pro *gulose*, et *insatiabili.*

dem honorat: Quod fignum exftat ab omni vetuftate acceptum, fe velle ejus filiam conjugio fecum jungere. Hic, fi non adfurgat, nec infectis rebus difcedat, indicium eft, fe fponfi precibus adnuere. Quare is mox per famulos dona fponfae deftinata adferri jubet; adlata rotundam fuper menfam (hanc ipfe adportare debet) conlocat; omnia ex ordine exponit, papyro involuta, litteris, quid contineant, fignata, officiique fui (Mandarinus fi eft) figillo munita: Quae parens non aperit; fed, fufcepta iterum profunda ad terram usque veneratione, futuro a genero, ea ad filiae mittit matrem: Et haec, et illa perluftrant fingula eum in finem, ut munera dotalia, fi exigua, ftatuque fuo judicent inferiora, non accipiantur.

Solemne autem eft Mandarinorum filiis, et filiabus (neque hac a confuetudine recedunt ditiores et honoratiorum parentum liberi) primo *panem* dare *aureum* a); tum circulos, eodem e metallo, et pretiofiffimo, duos, (hi pronubos in *Europa* annulos repraefentant) quos in carpum non fine dolore, tam firmiter inferunt, ut, manus oleo nifi prius ungantur, vix amplius, maximaque cum difficultate detrahere eos valeant. Largiuntur dein intima pro vefte, varia panni ferici volumina omnigeni coloris, albi 5 aut 10, viridis totidem &c. Exteriore pro amictu tria dumtaxat, feu quinque. Haec fi acceptentur, prodit in medium mater, familias, quam novus gener, in genua procidens, femel tantum profundiffima colit corporis inclinatione. Poftea adfertur vinum: Adfines duo, una e phiala argentea bibentes, contractis utrimque fponfalibus adftipulantur: Sternitur menfa, liberales ponuntur epulaedies omni laetitia traducitur.

Celebrata hac futurarum nuptiarum promiffione, annus ferme integer praeterit, donec filia in matrimonium eloce-

a) *Aurum* in formam *pecuniae* redactum, de quo fupra C. 1, §. 3. Sic *Ciftophorus* fpecies erat nummi *Afiatici*, ita dicti, quod in eo *ciftifer* fculptus effet. *Cic. pro dom. C.* 20.

elocetur. Traditio isthaec magno fastu, nec minore peragi solet ambitione. Praestitutum ad diem, amborum conjugum consanguinei, et propinqui in domo sponsi conveniunt. Alio in cubiculo viri, feminae in alio splendidissime epulantur. Sponsa interim suis in aedibus cum matre, et ancillis remanet. Conducti bajuli, hora designata, cistas, omniaque domus, et culinae utensilia, quae filiae a parentibus dantur ad constituendam completam domus supellectilem, in sponsi domicilium important. Per praecipuas loci plateas cuncta feruntur, ut incolis undique adfluentibus constet, qua, et quanta dote parentes filiam locupletarint. Sponsae praeferuntur vasa praegrandia duo, unum aqua, alterum oryza plenum, quibus conjugibus novis significatur, esse summa laborandum sollicitudine, bina haec, conservandam ad vitam maxime necessaria, ne umquam desiderentur. Nova nupta in reti, pretiosissima contecto tela, gestatur: similiter mater, quae filiam sequitur. Servae conspicuum hoc agmen concludunt.

Ad novi mariti aedes ubi devenitur, rerum omnium adlatarum designatio ei traditur: Sponsa vero, ejusque mater, coopertis in retibus, ad cubiculum usque deferuntur, ubi sponsi genitrix cum caeteris propinqua cognatione conjunctis adsistit. Pacta virgo exscendens, mox pavimento insidet, ac ter coram socru sua, caput quam profundissime inclinat, ibique tam diu moratur, donec ad thalamum deducatur. Hora adpropinquante (haec apud gentiles ab astrologo determinatur) sponsus a socro, ac iis, qui sanguine eum adtingunt, praemissa trinae demississimae inclinationis cerimonia, ut sponsa sibi tradatur, petit. Quod priusquam socer praestet, generum ad fidem servandam, ad pacem et concordiam, ad amorem uxori suae semper exhibendum adhortatur. Quo facto, sponsus sponsae cubile ingreditur: Reliqui domum revertuntur.

Regie-

Regis filiâ nuptui si detur, hoc solum habet particulare, quod gener non modo coram Rege, sed etiam coram sponsa sua, quatuor vicibus in terram se prosternat. Idem est ei faciendum, ubi ista ipsius in domum deportatur, qui re ipsa uxoris suae mancipium potest nuncupari. Praeterquam enim, quod eam regio cunctis in rebus adparatu semper accipiat, sit necesse, nec hanc audet adcedere, ea nisi voluerit, aut jusserit. Cibum sumenti adstare maritus debet, illa eum considere, nisi praecipiat. Idcirco Mandarini omnes servilem hunc honorem fugiunt, absque ulla tamen tergiversatione acceptandum, si Rex augustam ejusmodi sponsam ipsis offerat, ejus indignationem ni velint incurrere.

Humilioris fortunae homines plerumque refectis, quae ampliores reposcunt sumtus, ambagibus, mutuum praeter consensum, dono inferiore, quod sponsalia confirmat, adquiescunt. Praebet sponsus futurae tori sociae brachii ornamentum, circulos duos, vel argenteos, sive aereos, auro obductos. Desponsa vicissim puella promissam obsignat fidem; offerendo illi par sacculorum, alterum pro herbae Nicotianae usu, pro fructu, *areca* dicto, foliisque aromaticis alterum.

§. 3.

Sacra funebria.

Haec majore, qua possunt, solemnitate *Cochinchinenses* celebrant ob summam, qua defunctos prosequuntur, venerationem. Rex solus ulla sine ostentatione elatus, summo silentio ad sepulturam datur, ne scilicet niger ex orco genius, in mortis hujus cognitionem veniens, regno detrimentum inferat. Eapropter si contingat, ut a Regis obitu, regni haeres administrare istud ob aetatis defectum nequeat, mortui statua regiis exornatur vestibus; sellae imponitur gestatoriae; eodem, quo, dum erat in vivis, modo,

modo, ad publicae admissionis locum portatur, ubi Mandarini adveniunt, consuetam personato Regi reverentiam exhibent; supplices clientum suorum libellos offerunt, persuasissimum sibi habentes, generis humani hostem, ad propulsanda a regno mala, hac ratione posse eludi. Non nulli tamen, ad saniorem accedentes sententiam, credunt, non nisi politicam hanc esse cerimoniam, a regni legibus statutam, ut eo diutius supremi Principis memoria apud subditos conservaretur. Quod autem postea hoc ipsum simulacrum, gerens effigiem Regis, super ejusdem tumulum comburatur, paganae procul dubio superstitioni est adscribendum.

Caeterum est hoc moris antiqui, ut quivis quadragesimum aetatis annum non dum egressus, jam domi suae teneat loculum, e ligno, admodum pretioso, corruptionique nulli obnoxio confectum; hic fere 50, 60, aut 80 solidis imperialibus, immo et pretio majore emitur. Si quis ergo inter homines esse desinat, meliore, qua vivens utebatur, veste indutus, ad pulsum duorum bacillorum, suavissime resonantium, summa cum aequalitate a 6 vel 8 bajulis elevatur, ac suo e cubiculo ad ampliorem domus partem defertur: Tum loculo imponitur, qui pice ac resina illitus (chartacea etiam undique segmenta adduntur) cadaver jam praestolatur. Superposito operculo, arca funebris, veluti dolium, tribus circulorum ordinibus cingitur, (hi constant *Malacensi a*) e *canna b*), eaque tenuissima) et tam arcte constringitur, ut nullus omnino aër, non postrema putredinis causa, possit introire. Post *capulus* vernice rubri, aut nigri coloris tam diu obducitur, donec haec circulorum altitudinem

crassitie

a) *Malaca*, magna *Indiae* orientalis peninsula, cum urbe cognomine; quae olim *Lusitanorum*, nunc ab anno 1640 a *Batavis* possidetur.

b) Per abusum in *Germania* vocatur *spanisch rohr*; etsi non in *Hispania*, sed *Malacensi* in territorio, arundo haec nascitur.

crassitie sua excedat, quo aëri perflanti exposito, glutinosus iste liquor penitus indurescit.

Sumtuosa autem haec circumspectio necessario est observanda, dum secundum introductam consuetudinem, defunctorum corpora diuturno admodum tempore in aedibus solent adservari, ne ea, putrescere ubi incipiunt, odorem gravissimum exhalent. Demortuus enim si pater familias exstiterit, remanet ibidem 2, vel 3 annis; si mater, 2 aut 1 anno; si uxor, sive maritus, 1 anno, seu dimidio; si filii, aut filiae, duobus, tribusve mensibus. Conservantur hoc modo cadavera, ita, ut, si evoluto 60 pluriumque annorum spatio, loculus aperiatur, velut spirans effigies mortui possit adnosci, et colores vestium omnes discerni, quasi hesterna primum die fuisset terrae mandatus; quamvis, extrinsecus si adflet spiritus, tota continuo hominis figura copiosum in pulverem resolvatur.

Corpore Mandarini, aut alterius praedivitis (Patres aulici, si quis eorum obierit, simili ratione componuntur) sic compacto in medio amplioris cubiculi, sive atrii, ad parietem arula quaedam locatur, cui grandis tabula, defuncti nomen exprimens, adhaeret, gentilitium quasi scutum imitatura. Arulae ad pedem tapes persicus, aut alius quicumque extenditur, ubi loculum, tela, e serico, et auro contexta, contectum deponunt. Capuli extremitatem contingit scabellum, e quo diu noctuque thymiama flagrat. Dein totum hoc ferale pegma, obductis velis, redditur opacum, ne praetereuntium oculi funesto hoc spectaculo perterreantur.

Post siparium filius natu major, aut, si desint proles, propinquitate magis junctus, ad sinistram, ubi loculus desinit, humi sedet, aut corpore se exporrigens, jacet, nudis pedibus, resolutis, passisque crinibus, straminea praecinctus zona, janua, ac fenestris omnibus clausis.

Luctuoso hoc in statu, hisce in tenebris integrum per mensem est ei vivendum. Comesturus dumtaxat accensa utitur lampade: Cibus vero, quo, toto poenitentiae hujus tempore, vescitur, alius non est, ac parum oryzae, pultis instar coctae, et sale tantum modo conditae. Si quis, se patrium hunc morem non observasse, convinceretur, non modo secundum regni sanctiones esset haereditate privandus; sed ipsa etiam e domo, ceu filius ingratus, ac degener expellendus: Neque huic permittitur, ut crines pectat, ut faciem, manus, pedesve lavet. Id quod omnibus (cum gens munditiei sit amantissima) quam maxime arduum adcidit. Porro pro defuncto in dies mensa paratur opipara, a filio offerenda genitori, praemissa solemni ad terram usque trina demissione. Ritum hunc toties renovat, quoties consanguinei, propinqui, amici adveniunt, pro defuncto ceram, donum tunc magis proprium, adferentes.

Invitantur etiam Bonzii 5, 10, 20, quin plures, juxta cujuslibet arbitrium, aut facultates: qui certis diei noctisque horis, preces tam recitando, quam cantando persolvunt, malleolo tintinnabulum maxime sonorum pulsantes. Alii, ut ritus hos reddant solemniores, musicos et cantores advocant, qui totam viciniam strepitu suo longe ingratissimo perturbant: Nam chorus dissonum quiddam, ac tumultuosum canit. Instrumenta adhibentur, quae aures his adsuetae solum possunt perferre. Bubulcorum inflantur cornua: Intortae pastorum tubae mugiunt: litui agrestes strepunt, atque his similia camporum, silvarumque dissonant organa. Nemo tunc magis belle se habet, quam hi Bonzii, isti cornicines, tibicines, buccinatores: hora siquidem finita, ponitur mensa, referta ferculis, tot repetita vicibus, quot horam statutam (diurna sit, aut nocturna, perinde est) ad finem perducunt. Ideo non universa modo familia, verum et amici, et vicini

cini ſubſidio veniunt, cibos praeparaturi his pro helluonibus, qui per menſtruum hoc ſpatium bonam domus ſubſtantiam abliguriunt; praecipue Bonzii, quibus, cum ceu Religioſi *ſtrictioris*, ut vocant, *obſervantiae*, carnem non comedant, adponendi ſunt piſces optimi; dulcia variae ſortis pulmenta; *jus gelatum*, e nidis *meropum a)*, altiſſimis in ſcopulis ſuum cubile ſtruentium (cibus eſt ſaporis gratiſſimi, qui cariſſime venditur, a *Luſitanis* nuncupatus *ninko de paſſaro*) fructus ſelecti, aliaque id genus gulae irritamenta.

Elapſo igitur menſe, filius (quidam majore ſuos erga parentes pietate incitati, rigidiſſimam hanc vitam ad duos, aut tres ſubinde menſes protrahunt) caliginoſa ſua ex habitatione, quaſi e ſepulchro reſurgit, et inter vivos morari denuo incipit. Totum abluit corpus; lugubre ſagum alia veſte mutat; ad munus, ſi quod obit, revertitur; At annua mortis dum redit memoria, diebus octo continuis, hac cerimoniae omnes (jejunii rigorem ſi exceperis) ab eodem innovantur. Adpropinquante tempore, corpus ſepulturae concedendi, res ad divos refertur. Haruſpex aut alius aſtrologiae gnarus arceſſitur, qui, inſpecto defuncti horoſcopo, terram, ad mortui requiem magis aptam ſeligit. Qui locus alieno ſi exſiſtat in fundo, ſummo etiam pretio emitur, dummodo defunctus ad finem laborum perveniat. Aperitur tumulus. Ariolus omnia ordinat; tot longitudinis, tot latitudinis adſignat pedes; radio locum deſcribit; quatuor mundi cardines, ac caeli plagas obſervat. Caput orienti opponitur; pedes occidenti ſubjiciuntur; latus dexterum committitur ſeptemtrioni, meridiei ſiniſtrum, aut viciſſim, prout ſcilicet mendaci huic aruſpici placuerit. Monumenti profunditas tres

F 2 ferme,

a) *Merops*, germanice *Meer-Schwalbe*. Avis pallido intus colore pennarum, ſuperne caeruleo: infeſta inprimis alveariis, apesque abſumit; de qua *Plin. l.* 10, *C.* 35. dicit: *Parentes in altiſſimis ſpecubus reconditos alit.*

ferme, aut quatuor orgyias complectitur. Hoc ipso a veteratore sepulturae dies decernitur.

Pompa vero plerumque de nocte peragitur. Conducuntur 40, 50, aut plures etiam cymbae, quae in duos divisae ordines, lento procedunt gradu: Est altera alteri adligata, pertica longa interjacente, aequalibus inter se spatiis distans. In medio Bonziorum comparent pegmata, multis corusca luminibus, variis pariter inscriptionibus, quas nemo intelligit, exornata. Cymbae insignitae sunt arcubus, e quibus laternae (quivis 10 aut 20 numerat) dependent: Hae rutilantia exhibentes sidera, via longo ordine lucente, spectatores mirum in modum delectant. Majus est, quod corpus exanime vehit, navigium, cujus pulchritudo omnium oculos in semet haud immerito convertit: consurgunt in eo columnae quatuor, quibus tegmen pensile innititur, vernice, et auro fulgidum, magnificis undique aulaeis vestitum, quae lampades magis exornant, atque illustrant, ita ut *feretrum* cum universo adparatu suo lugubri dilucide possit videri. Ante istud sedet filius, candido amictus sacco, praecinctus, ac corona redimitus: Et haec et cingulum sunt straminea. Latus utrumque cingunt consanguineae, albis indutae vestibus, cucullo in acumen paululum desinente; sub quo per dorsum ad pedes tela defluit serica, ejusdem coloris, syrmati haud absimilis. In puppi sedem tenet suam funeris ductor, vir gravis, ac in feralibus ejusmodi cerimoniis versatus. Hic tintinnabulo, quod malleolo pulsat, dat signum, quo cymbae cursum dirigere debeant; num in hoc, aut in aliud latus transferri; an lentius, an celerius progredi. Phaselum majorem sequuntur lembi (his vehuntur cognati, et amici) illuminatis quoque arcubus condecorati.

In diversam ubi evadunt ripam, exscendunt omnes; laternas deponunt, cereos novos perticis oblongis adligant.

gant. Exſequiarum dux nola ſignum cum dederit, exportatur feretrum a libitinariis plerumque 50. Hi et robuſtae, et aequalis omnes ſtaturae, nudi incedunt, inferiorem ſolum corporis partem rubra velantes tela: ſiniſtro e latere recentes inſuper gerunt ſacculos, pretioſo e panno confectos, ab iis, qui mortuum ſanguine adtingunt, dono datos. Loculus omni cum ornatu et ſplendidiſſimo, imponitur feretro: Tum ſupra hunc pelvis, aqua ad ſummum uſque oppleta, locatur eum in finem, ut portitores tam dextere procedant, ne aquae quidquam effluat. Id, quod tam egregie praeſtant, ut ſive planam per viam, aut diſſicilem, ac declivem pergant, raro admodum unica dumtaxat gutta effundatur. Ad gratiſſimum bacillorum binorum (mutua fit horum percuſſio) ſonum, elevatur capulus, ac ordine ſequenti proceditur.

Primi exſtant Bonzii, qui ſua monſtrant inſignia, plena incognitis variarum litterarum figuris; orant; patrium elegumque carmen decantant; tintinnabula pulſant. Utrimque cereorum incedunt latores; Tunc lentiſſimo, ac paſſu maxime aequali, ferale pegma, ſupra quod cadaver jacet, adfertur: hoc praecedit filius ſenior, retrorſum gradiens. Utroque e latere lugubris cognatarum lamentatio, fletus, leſſus, et planctus. Sequuntur funus adgnati, adfines, amici, famuli. Poſtremi ſunt, qui poſſeſſiones defuncti omnes ferunt, e charta ſcite admodum elaboratas, coloribuſque diſtinctas, quales ſunt: Cymba tot inſtructa remis; equi, boves, canes, feles, menſae, ſellae, lectus cum omnibus ad ſtratum ſpectantibus &c. Ne ſimii quidem (ſi quem habuit) memoria deponitur. Cuncta haec ſupra ſepulchrum cremantur. Ad quod ubi perveniunt, turibulum inde eximunt, ubi ex illa die, qua tumulus fuit apertus, odores pretioſi continuo accenduntur. Tapetum, variis intextum coloribus, extenditur; loculus ibidem collocatur. Mox, qui funus ducit, copioſe de

mortui

mortui laude differit, lugubri coram turba, omnia ejus facta, alta voce praelegendo. Tenuioris qui sunt fortunae, privatim in aedibus honorificam hanc testificationem faciunt, ne praedicatorem magno plerumque pretio conducere cogantur.

Finita funebri hac oratione, filius familias caeteris cum consanguineis omnibus, supremum vale patri dicit, consueta corporis in terram demissione, ter repetita. Accedit dein astrologus, qui determinata hora capulum in sepulchro condi jubet, atque istum jam hac, jam illa ratione, nunc magis ad dextram, nunc amplius ad sinistram, modo altius elevari, modo deprimi, ut molliter ossa requiescant. Dein (non nulli per triduum expectant, donec loculus tumulo tegatur) terra injicitur, calcatur, complanatur. Exstruitur eodem in loco rogus: utensilia sepulti singula, vivis expressa coloribus, adferuntur: aliud ex alio in ignem projicitur, hariolo adsidue murmurante, ac nutibus, gesticulationibus variis manuum, pedum, et totius corporis, ridiculam quamdam fabulam repraesentante.

Omnes denique domum revertuntur, filio excepto, paterni sepulchri tam diu custode, dum monumentum (res tam usitata, ut ipsi etiam plebeji tumulum aedicula contegant, ac tueantur) ibi aedificatur. Quidam hoc construunt e lapide, alii e lateribus, alii pretioso e ligno. Inscriptiones adduntur hieroglyphicae, et figurae leonum, tigridum, pyramidum &c. Sic altera *Cochinchinensi* persecutione, cum concubinarum una, quae Regi maxime erat in deliciis, moreretur, eamque Rex insigni quodam ornamento decorare voluerit, et honorare, praecepit, P. *Koffleri* ecclesiam (haec argento, auroque obducta, columnis 8 majoribus, minoribus 16 innitebatur) ad ejusdem sepulchrum deportari; Non enim tunc mausoleum pretiosius habebat.

Non

Non minus honorificis, ac magnificis exsequiis, supremo die suo, efferuntur *Christiani*. Est enim iis Sodalitas, in piorum manium erecta solatium (quae suo a Praeside dirigitur) omnibus in provinciis. Neque deest funereus adparatus, sane splendidus, ac praeprimis in aula regalis. Ritus solum superstitione contaminati omittuntur. Cum hanc apud nationem, tanta vigeat in vita functos pietas, semperque augeatur sepulchrorum sanctitas, incredibile est dictu, quam immensa pecuniae summa quot annis in defunctos quam amplissime sepeliendos impendatur.

§. 4.

Bonzii.

Hoc nomine compellantur apud *Cochinchinenses*, aliosque Indiae populos, Religiosi gentiles. Vitam hi vivunt monasticam. Sunt iis coenobia, et regulis, et ordine instructa. Habitu utuntur vulgari, cinereum quasi ad colorem adcedente. Caput radunt, se castitatem servare dicunt perpetuam, re licet vera ad unum omnes scortatores exsistant. Praepositum, cui obediunt, *magnum* vocant *Magistrum*. Monasterium quidem unum ab altero non dependet: Qui tamen coenobio praeest regio, summus omnium sacerdos, et archimandrita salutatur. Hic auctoritate pollens maxima, solus universo in regno exemtus, Regem, ut mos fert, ad terram usque se prosternendo, non veneratur. In habitaculo, in triclinio, in choro monachos aemulantur. In orationibus suis, qua publicis, qua privatis, lingua loquuntur peregrina, quam ipsi soli intelligunt: de nocte surgunt, non omnes simul; sed aliqui dumtaxat, qui singulas inter se dividunt horas, et chorum alternant, dato campana toties signo, quoties alii aliis succedunt. Sic Religionem imitatur superstitio.

Sunt plerumque rudes, ac infimae sortis homines, atque idcirco a nemine aestimantur, nisi quando preces

pro

pro defunctis persolvunt, funusque comitantur. Regni provincias percurrunt omnes, ut stipem (sunt enim e mendicantium ordine) colligant, quam, potissima ex parte, sibimet ipsi quilibet conservat. Non nulli rigidius adhuc institutum amplectuntur, qui anachoretarum more, in montium cacuminibus, aut nemorum cavernis morantur, sanctitatis famam ut sibi concilient. Et hi rarissime prodeunt in publicum; sed solummodo suum apud fanum, quo simplex popellus peregrinationem continuam instituit, fideles idolorum custodes vigilant. De paupertate securi sunt; nam ab ea defenduntur devotis a peregrinis, qui tanta hos eremi incolas liberalitate excipiunt, ut suis cum discipulis (duo sunt plerumque, aut tres) vix omnia possint consumere.

Circa annuum 1754 contigit, ut Rex ad aulam invitaret celebrem quemdam Eremitam, jam 80 annorum, meridionalibus in provinciis, altissimo in monte degentem. Honorem hunc venerabilis iste popa constanter recusavit, inquiens, se non posse sacrarium (cui se ad omne vitae tempus devovisset) relinquere, aut alteri committere, citra gravissimam deae suae offensam, quam *Matrem populi* nuncupabat: id quod Rex inaudiens, majorem de eo aestimationem concipere, ardentioribus adhuc precibus instare, per omnes deos jurare, se velle solum quaedam de regni statu consilia cum ipso conferre, consultatione facta, eum illico antiquam ad stationem se remisurum spopondit. Monticola consensit quidem; aliam autem adjecit conditionem, ut videlicet toto, quo sacra ab aede abesset, tempore, locus hic a militibus custodiretur, nulli hominum adcessum concessuris. Perlibenter Rex mittit excubitores, ablegans simul ephebos, ad virum hunc, sanctimonia clarissimum, majore cum honore ad Regiam deducendum. Totum is iter pedibus confecit. Multa hominum millia (ut fieri solet) concurrebant; Montanum quaerebant; videre cupiebant.

Regis

Regis in conspectum ubi venit, jussit ille senem sibi adsidere; sed alio in tapete, quem non admisit, nudum seligens pavimentum. Varias ei Rex proposuit quaestiones (*quot esset annorum? quam vivendi teneret methodum? quam diu suum illo in monte tabernaculum jam haberet? &c.*) Ad quas, magnam servans gravitatem, paucis respondit. Sciscitans ex ipso de rebus regni publicis gerendis, omnes prius, qui circumstabant, abesse voluit homo ingeniosissime nequam, quam responderet. Unum postea arcanum, sed silentio tegendum, Rex familiaribus suis concredidit. Est autem sequens vaticinium, secundum sensum, quem dicunt, litteralem, fideli latinitate donatum: *Octo erunt in Cochinchina duces, et non plures: Quandò montes converteutur in valles: Quando portus maris obstruentur: Quando nostri* (de Cochinchinensibus loquitur) *antiqui homines extinguentur: Quando novi homines adparebunt: tunc regnum hoc ad alios transibit, et ab aliis gubernabitur.* Non diu est in aula commoratus, qui haec sua de patria vaticinabatur. Rex eidem obtulit aliquot auri *panes* variis cum donis, iisque pretiosis; at nihil acceptavit, odoriferum praeter lignum *calambá* dictum, tantique aestimatum, in deae suae venerationem flagraturum. Spretis pariter aulae dapibus, praeter herbas, oryzam, et aquam, nil aliud degustavit.

Quantum ad praedictionem vatis hujus solitarii, obiter memorandum occurrit, *Regem Cochinchinae* modernum, *octavum exstare*, cui regia est potestas. *Montes conversi sunt in valles*, quando circa annum 1746 praealti montes, ingenti fragore, in medio dirupti, miram planitiem, velut a natura factam effecere; in qua procera subito arbor effloruit. *Occlusi portus sunt maris;* Jam ante annum 1743 portus tres evaserunt inhabiles ad recipiendam navim ne quidem onerariam *Cochinchinensem*. Demum *antiqui homines sunt extincti, et novi adparuerunt*, dum

dum anno 1744 promulgata Regis lege, *Cochinchinenses* sordidum *Tunquinensium* abjicientes habitum, novum *Sinensibus* proprium induerunt. Interim *oraculi* hujus veritas, aut falsitas optime cognita est Domino illi, qui est *Deus solus omnium regnorum terrae a)*.

§. 5.

Delubra, Deorum, Dearumque cultus.

Delubra sunt magnifica, solido e lapide structa, murisque circumdata. Ambitus (locus inter templa relictus) ostendunt sanctorum *Cochinchinensium* (rude exstat, ac impolitum opus) ex aere statuas. Fanis hisce vicinus est lucus, manu consitus, variae ubi stationes, suis distinctae titulis. Ingressuris occurrunt duo, aut tres gigantes coronati, ad laevam manum, figurae horribilis, ignem spirantes, sagittas, lanceas, enses, facesve ardentes manu tenentes, ut impios a Deorum adcessu arceant: Ad dextram vero cernuntur alii, sed vultu laetitiam prae se ferente, blandis, benignisque oculis, ore subridente, gratam, variis quasi luderent instrumentis musicis, symphoniam exhibentes, ut probos ad Numinum suorum tutelam, ac gratiam invitent.

Magnus colitur Deorum, Dearumque numerus: Illi effigiem gerunt plerumque ridiculam, foedam, et absurdam. Formae ejusmodi sunt: Caput unum, corona redimitum quadruplici cum facie; manus plures, sive pedes; dextra gestans gladium, sinistra facem accensam; vultus ira inflammatus; scintillantes oculi; os spumans, aut sanguinem evomens. Deae e diverso sunt multum amabiles, ac visu admodum jucundae: Has inter una, quae simulacrum dei genitricis, parvulum JESUM sinistro portantis brachio repraesentare videtur. Inscriptus basi titulus est: *Patrona praegnantium, et puerperarum Mater:*

a) Isa. c. 37, v. 16.

ter: Haec prae caeteris, a devoto feminarum sexu, eximia colitur religione. Hinc plurima ad eam conferuntur munera; diversa edulia, quae divae huic oblata, a Bonziis haud dubie in almae, ac potentis Dominae suae salutem, absumuntur. Statuae Deorum pleraeque sunt ex aere fusae, et inauratae.

Rex in palatio nullum habet idolum; habet tamen ibi domunculas, spiritui tutelari dedicatas.

A Mandarinis, hominibusque doctis, post *Caelum* (quod dicunt omnium rerum principium) *Confucius*, tamquam verus Legislator, honoratur. Vix non innumerae, quas condidit, leges, ad duas hasce praecipuas referuntur: *Fac bonum, et declina a malo:* Has sequuntur aliae: *Honora parentes, natu majores, et Magistros; Venerare defunctos, eorumque necessitatibus succurre; Noli despicere pauperem; gratus esto his, qui tibi benefaciunt; Justitiam, et pacem ama; Fuge dolum, et iracundiam &c.* Adserunt litterati, irasci humanum esse; iram moderari, nobilis sapientisque viri; iracundiae autem frena laxare, hominis aut phrenetici, aut potius non hominis. Quae Philosophus hic longe celeberrimus de liberorum educatione, de modo, familiam regendi domesticam, conscripsit, sunt plane singularia, atque eximia.

Rudi a populo quid credatur, nescitur: certum enim deum agnoscit nullum. Naturam, vitae ducem sequi videtur: Caelo nihilo minus tam bona, quam mala adtribuit: Quocirca familiaris est illi hic loquendi modus: *Caelum ita voluit;* hinc *Cajus* cursum vitae confecit; hinc *Sempronius* naufragium passus, evasit. Quod Hecuba fecunda, et dives, Penelope vero pauper, et sterilis, hoc a *caelo* proficiscitur. Alii fato casus hosce adscribunt. *Sic erat*, inquiunt, *in fatis;* suus cuique ordo immutabili lege percurrendus; *Quo fata trahunt, retra-*

hunt-

huntque, *sequamur.* Daemonem metuunt, tamquam malorum hoc in mundo omnium causam. Spiritum custodem, a quo cuncta sibi evenire bona autumant, maxime venerantur: Ejus ad honorem, in domus atrio aediculam construunt, viatoriis apud nos pilis similem, ubi cibos adferunt; odores accendunt, ut domestici a daemone, aliisque infortuniis defendantur. Ejusmodi domunculatum omnia sunt plena: Maritimam ad oram, ad ripas fluminum, in agris, in compitis, in oppidis, et pagis, aliique locis compluribus.

Mandarini credunt *metempsychosim;* plebs autem, animam esse mortalem, judicat. Non nulli tam caelum, quam infernum admittunt, unde bonos altera in vita praemio, malos supplicio adficiendos, adserunt. Passim universi carcerem quemdam subterraneum recipiunt, defunctorum ubi animae contractos ob naevos, commissa ob delicta, famem, sitim, nuditatem, aliasque miserias patiuntur. Quapropter permulta pro illis persolvunt suffragia; cibos et vestimenta offerunt. Ne multis morer, Mandarinis, litteratisque exceptis, secta inter ipsos certa statui nulla potest: Quod enim hi adfirmant, negant illi, atque vicissim. Chaos ergo est dicendum, ubi omnia sunt dubia, informia, confusa, et obscura.

CAPUT VII.

De Christianismo.

§. 1.

Verae fidei Cochinchinensi in regno initium.

Quando post ultimam in *Japonia* persecutionem, Praecones sacri Evangelii omnes aut martyrio adfecti, aut exsilio mulctati fuere, placuit infinitae Dei, omnia gubernantis, ac providentia, bonitati ob occulta nobis judicia,

cia, occlusa hac porta (quam *Lucifer* cum sociis suis, ne quis ultra intrare possit, vectibus firmavit ferreis, collocando ante eam non unum, sed plures *Tartareos* spiritus) placuit, inquam, altissimae Numinis benignissimi providentiae, cum exsulibus legis suae Ministris, fidem, quae sola eam profitentes salvos facit, alia ad regna transferre, Macao maxime vicina, ad *Tunquinum* et *Cochinchinam*. Quo igitur modo postremum hoc regnum (quod Relationis hujus exstat argumentum) prima fidei praecepta acceperit, strictim hic juvat perscribere.

Primi omnium, qui huc advenere, erant *Manilenses*. Commercii enim causa, *Siamum* vela facturi, tempestate adversa ad *Cochinchinae* litus compelluntur: in australi regni hujus provincia subsistunt; jaciunt anchoram; cymbam armatis cum nautis, ac uno e S. *Francisci* ordine Religioso (hic forte navis sacellanum agebat) propinquum ad pagum expediunt, sibi de aqua, aliisque ad victum necessariis provisuri. Benigne ac humaniter a paganis excipiuntur, quos cum prius barbaros esse, crederent, gentem reperiunt civilem, excultam, et non minus, ac ipsimet sunt *Sinae*, politam.

Postera die adest territorii moderator, et Mandarinus cum interprete *Sina*, qui varios per annos, negotiationem cum *Macaensibus* exercens, linguam calluerat *lusitanam*. Nauclerus petit potestatem permanendi, caeli donec rediret serenitas. Spatio brevi interjecto, adsurgunt mapalia festinante exstructa manu, ipsis incolis, suam quoque operam praestantibus. Rex certior factus de *Manilensium* adventu, ac rei novitate permotus (numquam istud ad tempus navis *Europaea* in *Cochinchina* fuerat visa) advenas ad aulam invitat, cum et hic, et forsan melius, quam alibi merces suas possent divendere. Hi oblatum regium favorem minime respuunt; Adpropinquante hebdomade sancta, nec vento adhuc favente, remanent: diem paschatis,

ſchatis, *Chriſtiano* more, ſolemniter ibidem celebrant. Lumina feſtiva, ſub noctem accenſa, et exploſa e navi tormenta gentiles plurimos adtraxerunt, *Chriſtianorum* ſacra, quae non dum intellexerant, ſolum demirantes *a*).

Lux haec Evangelii, *Cochinchinenſibus* tantummodo oſtenſa, ſed mox exſtincta, accenſa denuo fuit a *Luſitano*, mercium transmittendarum procuratore *Macaenſi*. Qua in urbe ſub illud tempus mercatores hac e natione morabantur ditiſſimi, merces *ſinicas* diſtrahentes *Perſicam* per regionem, per *Indiam*, per oram *Malabariae* et *Coromandelae*, per *Bengalam*, *Pegum*, *Siamum*, *Cambodiam*, *Arabiam &c.* His ergo in regionibus cum negotiatorum *Macaenſium* coetus ſuos haberet rerum actores, ſubſtitit quoque unus negotiorum ejusmodi curator publicus *Cambodiae*, cognomento *Brocardus*, vir probus, ſimulque artis, fundendi tormenta, adprime gnarus.

Cochinchinae Rex in artificis hujus notitiam ubi devenit (annus tunc labebatur ſupra milleſimum ſexcenteſimum, fere tertius ac ſexageſimus) ſummo adlaboravit ſtudio, ut hominem ſuum in regnum arceſſeret; Quod is tandem praeſtitit, tum praemiis largiſſimis, tum melioris adhuc fortunae ſpe illectus. Adveniens illuſtria illico artificii ſui dedit ſpecimina, conflando non modo tria illa majora ad palatii portam tormenta, ſed et caetera, Regiam undique munientia; de quibus ſupra jam eſt actum *b*).

Rex ergo, cui *Brocardus* erat acceptiſſimus, veniam et concedit, ad animae ſuae ſolatium, ſacerdotem Europaeum advocandi: Qui cum degentes *Macai* Patres Societatis impenſe amaret, ex iis quemdam impetravit, navi eo *ſinica* delatum die S. *Joſepho* ſacra, unde et divo iſti Miſſionis *Cochinchinenſis Protectoris* nomen fuit inditum. *Brocardus*, cui gentis hujus mores maxime probabantur, domi-

a) Vid. quae infra in Adpendice, num. V adnotavi. *M.*

b) Vide *c.* 3. §. 1.

domicilium ibi figit: Uxorem ducit *Cochinchinensem*, quam cum tota ejus familia, idem sacerdos sacro expiat lavacro: Sacellum erigit domesticum, in quo, Regis permissu, et Missa dicebatur, et sacramenta alia administrabantur: At cum Missionarii zelus limites ab aula praescriptos transgrederetur, ita, ut non solum domestici, verum complures etiam alii, rei ibidem sacrae interfuturi, clam eo se conferrent, instigantibus Regem Mandarinis, verbi divini Minister (quod vulnus erat *Brocardo* gravissimum) cogitur exsulare.

§. 2.

Rei Christianae propagatio.

Verum post nubila Phoebus. Novo cum Rege nova, ac laetior *Christianorum* coetus facies. Hic enim *Brocardo* (qui apud eum gratia valebat plurimum) sacerdotis novi advocandi facit copiam. Pusillus ergo grex, alium nactus Pastorem, e *Macaensi* Societatis collegio, paulatim coepit augeri, strenue eum adjuvantibus iis, qui ad hunc diem *Catechistae* nuncupantur. Cum enim Missionario nostro, pedem ex aula efferre haud liceret; nec ipse palam Jesu Christi Evangelium praedicare auderet, visum ei fuit, novis e *Christianis*, sacra in lege eruditioribus, rerumque, ac cerimoniarum Ecclesiae probe peritis, quosdam seligere, qui ei in Evangelii promulgatione auxiliarentur.

Atque hi sedulam sane manum commodarunt: Nam patriam in linguam (erant viri litterati omnes) Catechismum integrum converterunt; complures inter *neophytos* exemplaria distribuerunt; Christianae fidei elementa iisdem explanarunt; instructos ad Patrem adduxerunt, necessaria ab eo sacramenta recepturos. Iidem catecheseos Magistri parvulos, dissitis in provinciis natos, sacro abluerunt baptismate, adultos autem, quando necessitas flagitabat.

Aliud

Aliud insuper ex hisce laboris Evangelici sociis commodum, idque non exiguum, *Christianam* in Rempublicam promanavit; siquidem isti, salutis animarum dilatandae studio semper magis incensi, suis in aedibus locum, sacelli in modum adornarunt, ubi diebus Sabbati, dominicis, ac festis per annum, suis cum domesticis, aliisque Christianis, solebant Catechismum, alias que preces recitare, lectione libri spiritualis (quem cum Missionario adjutore, donarunt sermone vernaculo) mentem pascere, piis invicem colloquiis sese animare, fidemque roborare. Hanc ad formam, progressu temporis, connivente Magistratu, alia condita fuere *orationis domicilia.*

Cum itaque hoc modo cresceret *Christi* fidelium multitudo, missi sunt *Macao* novi duo operarii, foecundam adeo Domini vineam exculturi: Alter per *Cambodiam*; *Sinico* in navigio (quae consueta est via) alter: Unus extitit *Aragonensis.* Et hic sua, quam profitebatur, Mathesi, mox tantam sibi apud cunctos comparavit famam, ut Mathematicus regius declararetur. Quo illustrissimo in munere (*nihil* enim, teste *Tullio*, est *Mathematicis illustrius*) praeclare adeo se gessit, ut in reducendis ad calculum, quae occurrebant, solis defectionibus, versatis hac in arte *Cochinchinensibus* palmam aeque ac propositum iis praemium eriperet. Alius erat Lusitanus, isque Medicus, qui singulari, quam Deus ei concessit, curationum gratia, eximiaque in aegrotos charitate, summorum ac infimorum benevolentiam promeruit. Sub duorum igitur horum virorum praesidio, qui tanta apud omnes pollebant auctoritate, complures singulos in dies, rejecto idolorum cultu, *Christo* nomen dedere.

Scribebantur haec *Siamum*, *Manilam*, *Romam*, atque ad non vulgarem *Societatis* nostrae commendationem innotescebant. Mittitur proin sancta a sede Vicarius Apostolicus, supremus copiosi hujus gregis Pastor futurus.

Viden-

Videntes porro et *Siami* Clerici *Parisienses a*), et *Manilae* sodales, divi *Francisci* institutum observantes tam uberem in *Cochinchina* campum, atque ad messem jam maturum, ipsi quoque, largas adeo fruges collecturi, advenere.

Interim e vita decedit *Brocardus.* Solus *P. Arneido* (hoc erat Mathematico regio e Societate Jesu nomen) firmissimae instar columnae, totum verae fidei aedificium sustentabat, vir profecto laude omni dignissimus, non modo ob animarum zelum, quo flagrans, multos primi etiam ordinis Mandarinos a gentilium fabulis sanam ad doctrinam perduxerat, sed ob singulares etiam animi dotes, ob ingenii perspicaciam, memoriae facilitatem, scientiae praestantiam, qua libros *sinicos* expedite non minus legere, ac explanare poterat. Hac in dexteritate primas tenebat partes, summo etiam eorum consensu, qui litteratorum *Cochinchinensium* principes habebantur. Cum his continuo agebat, disputabat; hos convincebat, ut errorem suum agnoscentes, *erudito Europaeo* (eo passim titulo honorabatur) suo tamquam Magistro victas tandem manus darent.

Sub amplissima viri hujus umbra, laeta omnino, pinguiaque *Christi* ovium pascua exstiterunt. *Christiani* libere adcedebant Pastores, a quibus non jam in sacellis, sed amplioribus in templis, quae tantum gregem caperent, pascebantur. Catechistae pariter et securius, et latius officio suo fungebantur: Quod erat (praeter ea, quae hoc §. jam sunt memorata) bis per diem sacra in aede preces publicas collecto populo praeire, calendarium publicare, Patres ad moribundos vocare, iis ad ultimum usque spiritum

a) E domo S. *Lazari*, quae caput est *Congregationis*, quam sub nomine *Presbyterorum saecularium Missionis* instituit S. *Vincentius a Paulo.*

ritum adsistere, aliaque bona opera fratribus suis exhibere.

Quilibet pagus, quodvis oppidum, suum habebat Catechistam, quem *Christiani*, ceu patrem familias venerabantur: Huic anno ineunte, et messis tempore oryzam obtulerunt, eumque in his, quae ad corpus curandum sunt necessaria, pro viribus sublevabant. Catecheseos vero praeceptoribus, qui *Patres* semper comitabantur, ex eorumdem peculio, annua pensio erat adsignata. Missionariis nostris 80 dumtaxat dabantur imperiales: Tantundem acceperunt ii, qui propaganda a fide *Propagandistae* vocantur; Clerici *Parisienses* 120; Religiosi *Manilenses* 200. Hos praeter Catechistas fuerunt duo, *majores* nominati, quibus alii debebant obedientiam. Isti missos per provinciam *libellos a)* ferebant: patrium in idioma libros traducebant: graviora Missionum negotia procurabant. Magnae erant apud *Christianos* existimationis, unus australibus in provinciis, in borealibus alter morabatur.

§. 3.

Ecclesiae Cochinchinensis persecutio prima.

Pulcherrime florescebat Missio, firmata jam stirpe verae Religionis; et ecce! tamquam turbine aliquo, aut subita tempestate, ea pervertitur. Rex P.em *Arneido* legatum suum designat apud *Lusitaniae* Regem, non nullas res majoris momenti peracturus, adjecta etiam una conditione, quae si impleretur, se permissurum liberam legis Evangelicae universo in regno promulgationem. Pater iter adgreditur; at *Goam b)* perveniens, letalem in morbum incidit, atque ad Regis supremi aulam invitatur. Decessus hic magnae *Christiani* dogmatis ruinae occasionem

a) Seu *litteras Encyclicas*, sive *circulares*.

b) *Goa*, alio nomine *Tienari*, urbs *Asiatica* regni *Decan*, sita in insula, quam fluvii *Mondona*, et *Guari* efficiunt.

nem praebuit. Etiamsi enim P. *Sanna*, e *Sardinia* oriundus, Medicum aulica in urbe ageret; numquam tamen decessoris famam adquirere sibi potuit, ac talem, ut Rex aut personam suam, aut ex aulae familia quempiam curae ejus concrederet.

Cum ergo Missionatiorum nullo Rex familiarius uteretur, primarius aulae Minister, homo singulari cupiditate, audacia, scelere praeditus, sanctam legem (id quod dudum unice in votis habebat) exterminare decrevit. Summum is gratiae gradum apud Regem tenuit, quem vitiis carnis maxime deditum, patremque, plurimas praeter filias, filiorum 50, toto cum regno regebat. Homo vulgi e grege, sedula litterarum agitatione ereptus, ad supremam eruditos inter Mandarinos dignitatem emersit, elusis adversariorum omnium machinis, qui ejus ab ore pendere cogebantur. Unius arbitrio omnia gerebantur. Intolerabilem ob potentiam a cunctis metuebatur. Mira autem erat sagacitate, tantoque animi ardore, ut, quidquid adgrediebatur, ad finem feliciter perduceret.

Juvat hic unum, alterumve imperterriti moliminis, ac ingenii versutissimi exemplum adducere. Latrocinabatur ingens hominum, ex facinorosis congregatorum multitudo: Ipse eos (quos frustra alii sunt coërcere conati) toto e regno proscripsit, ita, ut quivis, aperta etiam domus porta, somnum capere potuerit, quin res vel minima inde auferretur. Nec *Pythonissarum* numerus facile iniri potuit; quae pretio non levi conducebantur, ut nocturnis suis cantionibus, defunctorum altera in vita statum cognoscerent, eumque, et qua re indigerent, parentibus, cognatis, aut amicis manifestarent: Has ita compescuit, ut nulla amplius munus suum peragens, nimis credulos, mendaciis tam caro venditis deciperet. Modus, earum insaniam refraenandi, fuit is, quem refero, et calamo dignum.

Praegrandem suo in palatio parari praecepit cistam, atque interiore in operculi parte depingi feminam eo, quo *Pythonissae* incedere solent, habitu, solo pictore hujus rei conscio. Indicta dein die, mulieres omnes, fatidico, uti se jactabant, spiritu plenas, in aulae provincia degentes adesse iussit: Militibus autem dat in mandatis, ut intrare cunctas, exire nullam permittant. Comparent hae numero perfrequentes, pretiosissima vestium indutae: Cultum enim justo mundiorem adsumunt, dum magicam suam artem, daemonum invocatione, nefandisque carminibus usurpant. Vaserrimus iste Mandarinus universas ad majus *cubiculum*, quod *salutatorium* vocant, invitat. Considet ipse, locum quoque amplissimo hoc in consessu vanis hisce vatibus praebet omnibus. Mox praeparata adfertur cista decem a famulis, jam prius dexterrime instructis, qui lentissimum (quasi madentes sudore, nimio prae pondere vix amplius progredi possent) gressum simulabant: Tandem eam in medio, extensum super tapetem, magno cum labore deponunt.

Tum novi hujus collegii Praeses, praesagas has mulieres est hunc in modum adlocutus: Vos, quae in terrae visceribus, quidquid est reconditum, probe nostis; quae infernas umbras incantamento vestro elicitis; quae simulacra pallentia sub obscurum noctis conspicitis; quae omne id, quod circa defunctos altero in mundo agitur, adflatu divino edocemini: Hoc enim nomen vestrum indicat, et officium, quo fungimini: Mihi autem responsa vestra videntur vana: Tectam artificio fraudem subesse, existimo, qua praecipites ad credendum homines decipitis, ac non nisi lucro intentae vestro, eorum crumenas emungitis. Hinc, quid rei sit, experiar hodie hac ipsa in cista, quam coram videtis: In ea quod lateat, si mihi manifestaveritis; et ego vera esse, credam, quae hactenus falsa judicavi; vos aestimabo, et vestro in munere relinquam: sin minus; dolos vestros praesente in loco luetis.

Quo

Quo dicto, subito omnes terrore perculsi, cuti suae timere, expallere, contremiscere; Resumto paululum animo, versare se in utramque partem non solum mente, verum etiam corpore, excusare se omnes, et adserere, se tantummodo vita functorum nosse statum. At Mandarinus institit, ursit, et dixit: Qui vobis, in quo rerum articulo mortui persistant, indicat, quidnam hac in arca sit absconditum, potest etiam significare. Invitae igitur suam dicunt sententiam: Haec aurum, illa argentum, ista ferrum, alia plumbum, altera lapides, quaevis aliud quidpiam, ut se imminente a tempestate liberaret, nominavit; sed nulla rem acu tetigit. Tum ille excandescens, multo ipsas sale perfricat; gravissimis in eas verbis invehitur, atque cistam reserari jubet (haec penitus vacua, solam *Pythonissam Cochinchinensem*, in operculo depictam intus habuit) ac se e loco proripit. Postrema demum scena, et valde tragica panditur. Erumpunt inopinato impetu, e suis, ubi abdebantur, insidiis milites, scuticis armati nodosis, lorisque bubulis, quibus infelices in fatiloquas horrende saeviunt; flagris has operiunt; ad sanguinem usque caedunt: Jacent eae mortuis, ac vivis similiores: Frigida persusae, ubi ad se redierunt *a*), turpissima hac notatae ignominia, e domo ejiciuntur. Atque ex eo tempore *Pythonissae* omnes exspirarunt, post Mandarini hujus mortem, ad vitam denuo revocatae.

Hic ergo callidissimus maleficarum istarum expulsor tam feracem verae fidei plantam radicitus exstirpare pariter adlaboravit. Severissimum primo per omnes regni provincias decretum promulgatur, sancti Evangelii legem sub mortis poena omnibus prohibens, et adfixum valvis ecclesiae Patris *Sanna* in aula publicae, ac *Christicolis* cunctis patulae. Idque egit eo potissimum ex capite, ut Mandarinos Christianos, qui variis in locis, Christi sectatores

a) *Plaut.* Truncul. 2. 4. 15. *Aspersisti aquam, jam rediit animus.*

tores protegebant, prosterneret. Tunc erant illorum quam plurimi, primum etiam hac in dignitate gradum occupantes: sed plerique invictam monstrantes orthodoxa in fide constantiam, sponte suas, quibus praefulgebant, dignitates reliquerunt, ne animae salutem, vitamque aeternam amitterent.

Hos inter singulariter praeluxit Prorex quidam, cujus heroica virtus Regi tantopere placuit, ut eum numquam exauctorari fuerit passus, *Iste*, inquiens, *Deum suum habet, pro eo pugnantem, nihilque timet; immo pluris facit, se esse Christianum, quam Proregem.* Atque hoc opere ipso, et praeclarissimo ostendit. Pro nihilo enim duxit honores mundi omnes. Nulla decreti, legem vetantis, ratione habita, toto illo persecutionis tempore, Christi fideles nobilissimo suo exemplo animavit; eos suum ad palatium invitavit; ibi cum ipsis publicas preces recitavit, et, dum poterat, Patrem advocavit, sacrae confessionis, et communionis sacramenta suscepturus.

Quantum autem emolumenti hujus Proregis zelus adtulit, tantum detrimenti importavit, quin multo majus, litteratus ille diaboli emissarius, non nisi maxime dissoluta, ac perditissima iniens consilia: Nam, Rege dissimulante, et tacente, templa sanctissimis religionibus consecrata spoliavit, nudavit, solo aequavit; cunctos, Christum colentes, bonis exuit; hos in carcerem conjecit; illos ad servitium elephantibus praestandum (quod et maxime arduum exstat, et abjectissimum) condemnavit; alios vi tormentorum, ad fidem abjurandam, ad conculcandam Jesu Christi imaginem compulit; quosdam inedia subterraneis in cavernis consumsit; non paucos, quos inter varii erant Catechistae, inusto fronti crucis signo, tamquam ferali stigmate notari praecepit; non nullos etiam publico in foro, aliorum ad terrorem, jussit obtruncari; quid? quod multo plures adhuc jugulasset, nisi tam numero-

merosos reperisset athletas, qui pro Deo, sanctissimaque ejus lege caput suum promtissime offerrent.

Ultra est progressa hominis consceleratissimi improbitas. Ut residui eo citius a fide deficerent, Missionariorum ejectionem procuravit. Restitit ei Rex ab initio, dicens: *Nói-Tán! Nói-Tán!* (hoc Mandarini nomen erat) *Noli Magistros persequi: Certo eventum rei pessimum experieris.* Cum vero tenacissime suo staret judicio, *itane*, reposuit Rex, *itane*, *Magistris discedentibus*, *Christianorum etiam deus cum his discedet?* Mira gentilis Principis interrogatio, quae nihilominus pessimi hujus Mandarini animum non modo non permovit; sed et magis induravit, ut prius haud quiesceret, donec consensum regium extorqueret.

Sub initium Maji novum emanat decretum, gravissimis sub poenis praecipiens, ut Missionarii omnes, intra dies 14 e regno abeant, seque ad portum *Phái-phó a)* conferant, *sinensi* in navi prima *Macaum* deportandi. Parendum erat, atque discedendum. Varia interim pulsantur ostia virorum, majore in dignitate positorum, ut in aula intercedant pro obtinenda *Pháiphoensi* in portu ad mensem Augustum usque commoratione: Quae demum quemdam per Mandarinum, unum ex intimis Regis, fuit concessa. Hic enim concubinae suae (cui Patres nostri *panem* unum *aureum* promiserant) precibus devictus, libellum Regi supplicem porrexit, ab eodem clementissime subscriptum.

§. 4.

Novum verae Religionis incrementum.

Sub *Julii* finem Rex e vita emigrat: Et tam foeda tempestas repentina serenitate discutitur: Nam cum Mandarinorum nemo esset, qui litteratum hunc et regni, et Regis

a) *Portus* regni *primarius* est, cujus crepidini naves adplicantur.

Regis gubernatorem non acerrime odisset, percepto Regis obitu, illico domum ejus militibus cingunt, captumque ad supremum aulae senatum deducunt, coram quo variorum convictus criminum, a suoque amotus officio, ad mortem damnatur. Ad supplicium cum duceretur, a militibus cohortis, *aurea* ab *ense* nuncupatae, justitiae in *Cochinchina* exsecutoribus, hi morae impatientes, eodem in loco, ubi aulica *societatis* nostrae steterat ecclesia, sacrilegum in frusta conciderunt, ut, qui in Dei domum, eam destruendo, peccaverat, ante hanc ipsam, temeritatis suae poenas non capite solum, sed toto corpore expenderet, dignum vita, factisque suis exitum consecutus.

Hoc impietatis non inultae documentum est prius exhibitum, Rex novus quam inauguraretur. Ilic ut primum paternum conscendit solium, non modo Christianos captivos omnes libertate pristina donavit; verum et destinatis proximum ad exsilium Missionariis, remanendi in regno, veniam gratiosissime concessit. Et quamvis subinde quidam aulae Ministri contra Christi fideles, Regis irritare animum niterentur; toto tamen eo tempore, quo indulgentissimus hic Princeps regno praeerat (praefuit autem annis 13) inconcussa stetit vera Religio. Nam cum esset pacis amantissimus, dulcissimos ejusdem fructus communes esse omnibus voluit; nec ullam subditorum cuipiam facessivit molestiam: Quin immo diffidentes rebus suis confirmavit, adflictos erexit, perditos recreavit.

Paulo post regia in civitate steterunt denno ecclesiae quinque; duae a *Nostris* erectae; a *Franciscanis* una; a clericis *gallicis* alia; altera a *Propagandistis*. Regis ad exemplum componitur orbis. Proregum indulgentia, aliis etiam in provinciis Neophyti summo cum gaudio conspexerunt templa sua resurgere tum sumtibus suis, tum *Patrum*, in iis saltem locis, ubi Pastores cum suis, quas pascebant, ovibus morabantur.

Defuncto

Defuncto hoc Principe, suis a subditis maxime amato, magis adhuc populus *Christianus* adaugebatur. Successor enim Europaeum denuo Mathematicum (qui post P[is] *Arneido* discessum desiderabatur) obtinuit, P[m] scilicet *Joannem Sibert S. J.* a) qui aula *Pekinensi* dimissa, 1739 *Cochinchinensem* ad Missionem se sponte obtulit. Hic cum eximia *salutaris* etiam *artis* scientia foret praeditus, prima vice ad Regem introductus, animum ejus adeo rapuit, ut novo huic Medico totum se tradiderit, et valetudinem, et vitam suam, aeque ac suarum sibi dilectarum maxime concubinarum. In dies ille frequentabat palatium Regis; id quod decessoribus suis ter dumtaxat per annum erat concessum.

Fama hac longe lateque sparsa, crevit *Europaeorum* aestimatio, et fides orthodoxa fuit semper magis propagata; praesertim anno 1743, quo P. *Joannes Koffler* suo cum socio (ambo e *Bohemiae* provincia) illuc adpulit. Erant ad illud tempus provinciae tres, *aquiloni* oppositae, aliis quatuor infeliciores, quod nulli umquam *Nostrorum* ibi residere fuerit permissum, licet ibidem *Christianorum* coetus reliquos et numero, et fidei fervore superaret. P. *Kofflerus* ad hanc vineam domini excolendam missus, et arte sua medica, et munusculis, quae Proregibus obtulit, eos tam benevolos sibi reddidit, ut ipsi omnium primo suum apud gregem habitare licuerit. Puerum annorum octo est linguae nactus magistrum, eum imitando, ut addisceret accentus, seu vocis inflexiones, queis *Cochinchinenses* utuntur, ad cogitata mentis eloquendum: Namque uni verbo, pro accentuum varietate, variae sunt alienum in sensum migrationes: v. g. *di?* cum interrogationis signo *scrofam* significat: *di* autem subjecto cum puncto, *sororem*.

§. 5.

a) E Provincia ad *Rhenum inferiorem*.

§. 5.

Altera, et funestissima Christianorum clades.

Anno 1744 advenit *Macao* navis, a mercatore quodam *Gallo* conducta, principium ruinae Missionis florentissimae. Negotiator hic petiit a Rege (cujus animum oblatis per P^m^ *Siebert* muneribus delinierat) duos adulta jam aetate pueros, quibus ingenium esset docile, secum *Ponticerium a)* profecturos, ut hi *Europaearum* artium scientia expoliti, regiaque ad servitia aptissimi, in patriam reverterentur. Adnuit Rex, dilaudans hominis exteri fervorem, ac studium, quo in publicum regni bonum ferretur. Rex insuper eidem dari jubet auri purissimi *panes* 20 *b)* ad coëmenda varia, curiosa non minus ac pretiosa, in Europa confici solita, anno sequente adfutura.

Labitur annus: portum intrat navigium aliud *Macaënse*, mercatorem hunc e vivis sublatum denuntians; nihil autem eorum, quae Rex voluerat, adfertur. Doluit quam vehementissime *Siebertus*, ac horum tarditatem meliore, quo poterat, modo in aula excusavit. Adflictio isthaec optimo Patri mortem quoque adceleravit. Lenta enim febri, qua complures per menses jam languebat, citius consumtus, laboribus, pro Deo, ac Rege susceptis, tandem succubuit. Demortui cadaver a Catechistis ad ecclesiam portatum, mense integro (erat enim *mensis regius*, quo in aula humatio omnis est inhibita) ibidem extra humum requievit.

Mense *Martio* 1747 nostrum *Macai* Collegium misit *P. Carolum Slamenski* (quondam in *Hungaria* militum praesidiariorum agebat chirurgum) defuncto Patri, ac regiae salutis custodi successurum. Is medicinae paritia cum paucis

a) Vulgo *Ponticheri*, aut *Ponthickery*, regio, et urbs orientalis *Indiae*, ad oram *Coromandelae*.

b) Seu *ducentas auri uncias*.

paucis conferendus dicebatur; at cum mox ab initio curationes duae male successerint, fama, quam adventus adtulit, fuit spoliatus. In *Cochinchina* a prospero primae curationis eventu, existimatio Medici alienigenae dependet omnis. Orta inde animi aegritudo (quam comitabatur iteratus sanguinis vomitus) *Patrem* intra spatium vix trimestre commorationis suae aulicae exstinxit. Cujus locum occupavit P. *Koffler*, a Rege confestim constitutus, ac nominatus *Nhiem*, quod idem significat, ac *Inscrutabilis*, *profundus*, *secreti tenax*. Ipsa initia morbi, cui is medicas adhibebat manus, secuta est praeclara curatio. Et hoc modo fama nuper amissa non modo fuit *Europaeis* restituta, sed novis etiam curationibus semper adaucta.

Annus 1748 tandem adfert cistulam *cimeliis* a Rege desideratis plenam. Redeunt quoque adolescentes duo: ac utinam exteras numquam regiones vidissent! Etenim ad Regis adloquium admissi, res omnes pessimi exempli peregre conspectas incaute retulerunt. Subjunxit unus (*Michaël* hic vocabatur) altero et loquacior, et audacior, adlatas res pretiosas non aequare pretium auri a Rege dati. Non multo post intrat portum navis gallica, nationis ejusdem legatum advehens. Hic, donis praemissis, benigne est a Rege exceptus; sed quam brevis haec gratia Principis! Rex litteras examinans, legationi fidem facientes, reperit, *gallicas* cum *sinensibus* non concordare. Nata inde suspicio, legationem non esse Regis *Christianissimi*, sed gubernatoris *Ponticerensis*, quae etiam eo ex capite in contemtum venit, quod comitatu, qui potentem adeo Regem decet, caruerit.

Legatus nullo amplius adfectus honore 1749 ex aula discedit; dolorem dissimulat, et juvenem *Michaëlem* (de quo supra) ad navim invitat, pecuniam interpreti debitam (eo enim, quippe linguae *gallicae* perito utebatur)

perso-

persoluturus. Re ipsa autem dolum meditatur; vindictam de ipso sumendam coquit ob iniquam ejus accusationem, apud Regem adversus *Gallos* institutam. Interpres conscendit navim. Lauto convivio dies absumitur: laeta compotatio seram ad noctem producitur, cymba, quae adolescentem revehere debuerat, remittitur, multo mane reversura. At dum jacebat juvenis, *vino somnoque sepultus*, nauclerus jubet tolli ancoram, velaque ventis committi. Postera die adest scapha, et navis in altum jam provecta, eminus solummodo comparet.

Actio haec, quae temeritate non carebat, refertur portus gubernatori. Hinc clamor totam per viciniam; murmur, ereptum esse ab extero adolescentem, forsan jam occisum; legatum esse plagiarium, esse hominem perfidum. Tumultu replentur omnia. Regis ad aures ubi praeceps hoc factum pervenit, ipse subito commoveri, dolore ardere, iracundia furere, praecipere, ut *Vicarius Apostolicus* (hic e natione erat gallica) tota cum familia sua comprehendatur.

Malo huic adcessit aliud. Anno 1750 adferuntur *Macaënsi* in navigio (pro more annuo) non paucae epistolae ad Missionarios, aliosque exteros. De his, in sacco reconditis orta est duos inter *Patrum* famulos altercatio. Vociferatione hac excitatus, adstans litori decurio, aures jurgio amborum interponit, saccumque jubet aperiri: ubi tantam cernit litterarum multitudinem, (erant enim 100 et plures) suspicatur, res momenti gravissimi his in epistolis forsan contineri, consilia patriae inimica ab advenis capi. Tabellarius ergo captivus abducitur: Negotium hoc supremum ad Mandarinum devolvitur. Rege mandante, litterae omnes aperiuntur, patriam in linguam transferendae.

Summum quosdam per dies silentium, summa exspectatio, quonam esset res tanti discriminis proruptura.

Sup-

Suppressa diuturno jam tempore Regis ira derepente in Missionariorum capita effunditur, in carcerem abreptorum. Captivitatem hanc ecclesiarum (numerosae erant fere ad trecentas) destructio sequitur. Legis *Christianae* praedicatio totum per regnum prohibetur. Sub finem Augusti sacri Evangelii praecones omnes exsulare coguntur. Clerici *Galli* 7, *Franciscani* 6, *Propagandista* e *Praedicatorum* familia unus; *Jesuitae* 8, universim 22. Solus P. *Koffler* praeclara ob merita, et obsequia, arte medendi, tum Regi, tum subditis ejus praestita, remanere permittitur.

Pastor igitur unus maximis in turbinibus, tam copiosum fidelium gregem maximo cum labore, ac periculo gubernat ad annum usque 1753, quo pariter immanis in ipsum tempestas desaeviit, cum omni coetu *christiano*, in ecclesia praesente. Furentibus enim a militibus captus, vestibus spoliatus, in vincula est conjectus, qui pridie adhuc in aula munere suo medico fungebatur.

Sexui nulli, nec sanguini, nec familiae parcebatur. Missae sunt per omnes regni provincias, Christi in cruce suffixi imagines, omnibus ab orthodoxis calcandae, dignitates, fortunasque suas si cuperent conservare. Ad conquirendum pro elephantis pastum condemnati, ferreo ad collum circulo erant insigniti; e quo lamina pendebat, litteris duabus incisis, idem significantibus, ac *sequens legem*. Quantam animarum stragem acerrima isthaec persecutio ediderit, nullis sat verbis potest explanari. *Christiana* mercatoris cujusdam *Batavi* charitas calamitosissimo hoc tempore maxime effulsit, qui P. *Kofflerum* suis cum domesticis abunde refecit, ac sustentavit; quocum et ipse 1755 abiens, *Cochinchinam* reliquit, servans illud Salvatoris: *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam a*). Neophyti lacrymis, votisque omnibus terram linquentem sunt prosecuti.

§. 6.

a) Matth. 10, v. 23.

§. 6.

Modernus Christicolarum status.

Ad novissima usque haec, quae vivimus, tempora, tres etiam num e *Societate Patres* dispersum undique gregem verum ad ovile reducere sunt conati: *Lusitanus* unus, et Matheseos peritus *Cochinchinensi* in aula, alter *Italus* degens in *emporio Phay-pho a)*, et tertius *Sina*, qui sedem stabilem habuit nullam. Verum tres hi operarii caelesti a Patre familias jam sunt evocati, promissum ab eo denarium obtenturi, prout constat e litteris P. *Andreae Rodriguez*, tribunalis Mathematici Praesidis tertii, *Pekini* in *Residentia S. Josephi*, 15 Augusti, 1777 datis *b)*.

In Relatione ejusdem anni ad Seminarium *Parisiense*, quod *exteris* a *Missionibus c)* nominatur, non sine ingente animi solatio legitur, misertum esse Deum *Christiani* in *Cochinchina* populi; Ecclesiam, paucis abhinc annis gentilium furore adeo vexatam, prostratam, ac desolatam refloruisse, tamque uberes denuo diffundere propagines, ut jam octoginta fidelium millia recenseantur *d)*. *Sanguis* scilicet *Martyrum*, *semen Christianorum*. Haud ita pridem generosus ibidem miles glorioso balteum suum resper-

a) Forum hoc nundinarium intervallo trium dierum est remotum ab urbe, Regis sede.

b) Vide mei Diarii *Tom. VII*, pag. 264. et *Litteras patentes Imperatoris Sinarum Kang-Hi* (Norimb. 1802. 4) pag. 26. *M.*

c) *Missions etrangères*. Missionum harum *sinensium* Procurator a Rege nominatus est *P. Ludovicus Maria du Gad*, *Lugdunensi* e provincia, annis olim pluribus *Chinensis* Missionarius, *S. J.* qui e *Julianaeis* in *Lusitania* captivis ad *Tagum*, primus 1766 est in libertatem adsertus.

d) Hermann Goldhagen *Religions-Journal* zweytes Stück, 1779. pag. 202.

resperfit sanguine, quo est *Christi* doctrinam testatus, ab ethnicorum turba lanceis interfectus.

Eadem virtus laudatissimi herois emicuit in adolescente nobili annorum 16, qui dum 1753 nec minis, neque promissis ad calcandum Salvatoris nostri e cruce pendentis simulacrum adigi poterat, districto ad jussa Mandarini gladio, cervicem, quam sibimet denudavit, animose subjecit, perhibens, se hoc modo eo citius suum ad Creatorem perventurum, quem imago *Christi* cruci adfixi repraesentat *a*).

Religio vera *Cochinchinensis* exoptata diu pace nunc perfruitur: At infelix regio maximis concutitur motibus; duplici bello, et externo, et domestico premitur. *Palantes* copiae miserandam campis vastationem intulere. Hinc dira grassatur fames; pars indigenarum potissima fere ad extrema jam est devoluta.

Hoc ipso malo vexatum est Regnum 1751, quo ob tardius advenientes aquarum inundationes, teneri oryzae culmi, dum prima adhuc (ut ajunt) in herba fuerant, exaruerunt. Devastatis agris, aulae provincia maxime omnium sensit annonae caritatem cum caeteris Boreae objacentibus. Duabus e provinciis, ad austrum conversis, sexcenta saltem anno quovis navigia aulicam ad provinciam pergunt: Quodlibet viginti ponderum centenariorum millia, et amplius advehit. Initio quidem panis hujus *Asiatici* defectum suppleverunt *terrae tubera b*). His autem consumtis, siliquae, radices agrestes. Plebs tandem eas ad incitas est redacta, ut canes, *glires c*), feles, aliaque

a) *Non* istud lignum; *sed quem designat*, adoro.

b) Tuber terrae, κυκλάμινος, seu herba *circularis figurae*, ut sunt *panes*; itaque *panis porcinus* vocatur: Nascitur in umbrosis. *Plin*. *l*. 25, *C*. 9. *Dioscor*. *L*. 2. *c*. 194.

c) Scribit *Plin*. *l*. 8, *C*. 57, non minus *glires*, quam *conchylia*, et *peregrinas aves* in deliciis aliquando fuisse.

aliaque jam corrupta, et putrida, quin immunda conquireret, ac absumeret. Teterrima demum comes mortis fames est. Non obstantibus extremis hisce latrantem contra stomachum remediis, sola in provincia, quae ab *aula* nominatur, qui inedia perierunt millium trium excessere numerum. Cadaveribus constratae erant plateae, tantum exhalantibus foetorem, ut aëre corrupto, immanis inde pestis timeretur. A quo terribili flagello, caeterisque malis Deus clementissimus regnum istud liberare dignetur.

ADPEN-

ADPENDIX.

I.

Ad pag. 30.

Epistola p. m. P. Johannis de Loureyro *ad me Norimbergam data.*

Vlyssipone 12 *Decembr.* 1784.

Clarissime Domine,

Literas, quibus D —— sua me honorare dignata est, per manus Rev. Domini *Kaulen* sub finem Novembris accepi; curaremque sedulus suis mandatis obsequi, si in promtu essent, quae a me postulat. Fateor quidem, me per 46 annos, quibus multa Asiae loca percurri, non pauca scitu digna circa Geographiam, et historiam naturalem observasse, et annotasse, praecipue in regno *Cochinchina*, ubi diutius moratus sum. Sed quoniam ibi praedicationi Evangelii totus incubui, satis otii non habui ad ordinanda et complenda ea, quae inveneram. Tandem, cum dubia valerudine, et annis gravis minus aptus viderer ad labores apostolicos prosequendos, quietis literariae studio inductus, simulque ab amicis invitatus optavi vela facere in Angliam, quo multas plantas raras ex Cochinchina anno 1773 et 1774 praemiseram, simulque paucas aliquas in Sueciam. Sed reditum in Europam, quem optabam, tunc non obtinui. Anno autem 1782 in patriam meam Vlyssiponem perveni, longa quidem, et molesta navigatione. Adeoque viribus fractus, curis domesticis, et valetudine minus prospera impeditus nullum adhuc ex inceptis opus perfeci, quod legi possit. *Floram Cochinchinae* fere ad calcem perduxeram, et ut

prius ederetur, tentabam. Sed moram attulit indigentia Auctorum, qui de plantis asiaticis a se visis scripserunt. Horum aliquos jam acquisivi; sed Hortum Malabaricum *Rheedi*, quo minime carere posse videor, de Vegetabilibus Indianis acturus, nec per mercatores librorum, nec per amicos adhibita diligentia, assequi adhuc potui.

Quandocunque Flora ista completa fuerit, si vires suppedant, *Commentariis historiae Cochinchinae* ultimam curam impendam, et ambo opuscula ad Domin. suam mittam, ut pro ea benignitate, et doctrina, qua pollet, illa perlustrare, ac corrigere dignetur.

Quamdiu autem mandata sua implere non valeo, in obsequentis animi tesseram offero aliquid ex remotis illis regionibus, quod in Europa non facile invenitur. 1°. Frusta aliqua ligni Aloes primae speciei, quae dicitur Calambá; 2°. parum cinnamomi Cochinchinensis. 3°. Capsulam pharmaci sinensis, dicti *O-kiao:* quorum omnium brevem descriptionem hic adjungo. D —— suam rogo, ut me, data occasione, certiorem faciat, an jam editus fuerit, vel prope edendus sit liber Clar. *Reichard* de plantis a Celeb. *Linnaeo* non dum visis, nec allibi descriptis? de quo ipsum curare, Lectorem monet in Syst. Plant. edito Francofurti ad Moenum, an. 1773.

Tandem si quid occurrat, in quo ipsi servire valeam, ad nutum libenter exequar

fidelissimus servus

Joannes de Loureyro

Acad. Reg. Scient. Ulyssip. Socius.

Lignum

Lignum Aloes Calambá.

Verum lignum Aloes officinarum est substantia resinoso-lignosa, quae producitur in altis montibus Cochinchinae, Tunkini, et Siami. Fit ex morbo vegetabilis, qui potest dici scirrhus, et carcinoma, quando obstructis vegetationis vasis in aliqua arboris parte, succus nutritius stagnat, et pars illa corrumpitur, turget, indurescit, gravior fit, mutat odorem, colorem, et saporem: ac tandem perit tota arbor, vel solus ramus, in quo morbus impedit progressum succi nutritii. Planta, in qua gignitur Aloes, pertinet ad Decandriam Monogyniam Systematis sexualis Linnaeani *a*). Cuius character genericus essentialis est. Calyx 5-phyllus: infimo duplo longiore. Corolla 5-petala, inaequalis. Leguminis semen unicum, arillatum. Habitus: arbor magna, ramis ascendentibus. Folia lanceolata, integerrima, glabra alterna. Flos terminalis: pedunculus pauci floris.

Omnes species veri ligni Aloes ex hac arbore procedunt. Sed aroma istud non invenitur in omnibus, nec in magna quantitate. Prima species, dicta *Calambá*, est rarissima. Nec alibi habetur, praeter montes provinciae *Binh khang* regni Cochinchinae. Differt ab aliis speciebus inferioris ordinis in eo, quod fibras habeat crassiores, resinaque magis turgentes: ita ut frustulum prunae impositum fere totum liquescat, odorem spiret suaviorem, tenaciorem, et ad maiorem distantiam sensibilem. Virtute medica est roborans maximum stomachi et intestinorum. Unde prodest in lienteria, et morbis ex laxitudine et debilitate fibrarum. Cum primum ex dissecta arbore extrahuntur frusta illa aromatica primae huius speciei molliuscula sunt, sed processu temporis duriora fiunt, quod similiter accidit omnibus aliis substantiis resinosis.

a) Vid. Cel. *Joh. de Loureyro* Flora Cochinchinensis. (Vlyssipone, 1790. 4 mai.) Vol. 2, pag. 267. *Aloëxylum Agallochum*.

Cinnamomum Cochinchinense.

Cinnamomum Cochinchinae, quod juxta methodum *Linnaei* potius dicetur *Laurus Cassia*, cum folia habeat 3-nervia, est arbor magna, agrestis, qua truncata, semel tantum cortex avellitur, qui, ut optimus sit, non ex trunco, nec ex ramis tenuioribus, sed ex mediocribus extrahitur *a*). Multo pluris aestimatur ab indigenis, et Sinensibus, quam Zeylanicum, quo non utuntur in re medica. Zeylanicum certe minus abundat oleo, in quo virtus aromatum; nec in tam longum tempus virtutem, odorem, et saporem conservat. A decem annis habeo hoc, quod nunc mitto, quin vigorem amiserit.

Gelatina Sinensis O-kiao.

In interiori provincia Imperii Sinensis est vallis quaedam, undique cincta montibus, in cuius planitie oritur fons, quo gramina per pratum nascentia irrigantur. Ex animalibus praecipue asinis, quae illic longo tempore pascuntur, ac de fonte bibunt, sumitur pellis, quae eadem aqua diu cocta format gelatinam dictam *O-kiao*. Loco illi non amplo praesidet Praefectus Imperatoris Sinensis, qui curat de legitima praeparatione pharmaci Pekinum mittendi, unde verum et efficax tantummodo haberi solet. Gelatina ista magnam habet virtutem contra phthisim, sputum sanguinis, et similes morbos ex acrimonia sanguinis, et corrosione venarum. Praecavet etiam abortum in praegnantibus, praecipue si ex fluxu sanguinis timeatur. Duae drachmae sumantur pro qualibet dosi, per multos dies iteranda. Macerari debet in aqua per noctem; in qua postea coquitur donec liquescat: additur parum vini malvatici, vel alterius speciei, quod dulce sit, cum quo postquam leviter ferbuerit, sumitur jejuno stomacho.

a) Vid. Flora Cochinchinensis, pag. 249.

II.

Litterae p. m. Dom. Laurentii Kaulen.

Lisbonae, 12 *Febr.* 1785.

Colendiſſime Domine,

Advenit tandem in Septembri huius Anni faſciculus Librorum a Te pro me directus ad D. *Müller*, Paſtorem Legationis Danicae, quem D. *Brintano* miſerat ad D D. *Caſtro* et *Correia*, Negotiatores hujates. —— Per D. *Natalem Gilhardo*, agnatum D. *Brintano*, miſi in Auguſto ciſtulam ligneam, cum Apologia S. I. Gallice, et Luſitanice ſcriptam. Iterum inventa fuit perdita Apologia contra *Joſ. Baſil. de Gama* a). Latuit Genuae, nunc Romae eſt reviſenda, unde ſpem habes, illam aliquando videndi. — Item inventus fuit Amſtelodami unus ex duobus faſciculis, olim ad Te directis. Spero, fore, ut ſit is, qui *Hiſtoriam Cochinchinae* continebat. Illum non huc redire, ſed ad Te promoveri juſſi. Faxit Deus, ut adveniat. Has ſcribens 20 Nov. 1784 accipio Tuas exaratas 12 Octob. h. a. cum accluſo folio ad D. *Joan. Loureiro*, cui Te ſatis notum feci, et commendavi remittendo illi Folium, quo illum honoraſti. Is ſtatim dum e China venit, adoptatus fuit in Academiam, quam inſtituit hic D. *Joannes de Bragança*, poſtquam ex exſilio ſuo e Germania rediit.

Placuit mihi ſummopere tuum Poema germanicum, ſub nomine *Lehrgedicht*, quod ego, niſi ſenio, morbis, et negotiis impedirer, latine redderem, et neſcio quid facturus ſim, ſi Deus otium dederit: plenum enim eſt ſententiis et principiis hominis Chriſtiani.

Mane ſcribens Tuas 30 Decembris 1784 ad me datas accipio, et vix credes quo gaudio: tum quod Apologiam acceperis, tum quod *Hiſtoria Cochinchinae* germanica ad Te pervenerit, quam deſcripſi ex Avtographo Epiſtolae P. *Koff*-

a) Auctorem Poematis luſitanici *O Uraguay*. Lisbòa, 1769. 8.

P. *Koffler.* Omiſi tamen multas urbanitates, quibus Pater alloquebatur Comitiſſam *Fuggeriam*, quae ei multa munera et curioſa tranſmiſerat, quibus Imperatorem Cochinchinae in bonum fidei ſibi devincire poſſet, v. g. horologium majus pro menſa, picturas, imagines Sanctorum, &c. item alia, quae ad Hiſtoriam non pertinebant, quam ſolam poſt mortem Patris, qui tunc adhuc mecum in carceribus erat, conſervatam volebam. Quare auctorem in fronte Libri apponas.

Vive et vale.

Tuus Tibi devinctiſſimus

L. Kaulen.

Mitto, quae mihi directe ex Aula Pekinenſi venerunt.

Quatuor paſtulas extractus Herbae Théanãe, cum inſtructione uſus.

Inſtructio circa Extractum Herbae, quam Germani *vocant* Thee, Luſitani *vero* Xaá.

茶 *Tſcha.*

葉 *optimae ſpeciei*

膏 *conden-ſatum.*

Extra-

Extractus hic in China conficitur. Mittunt magnam quantitatem foliorum Herbae melioris cum aqua super ignem, donec fiat concoctum satis forte. Haec aqua emendata a foliis, et aliis impuritatibus iterum super ignem ponitur, donec fiat satis crassa, et spissa, quae divisa in portiones parvas, soli exposita indurescit et conficit hos orbiculos, seu panes, quos vides positos super folia aut laminas. Satis caro pretio in China venduntur, quia multum Herbae Theanae insumitur, ut vel parva quantitas conficiatur, praesertim si legitima sit, sicut haec, quae mihi transmissa fuit a Mandarino Exjesuita P. *Josepho Bernardo* Lusitano, membro Tribunalis mathematici.

Virtus hujus Extracti est:

Contra Anginam, (*Esquinència* Lusitanice) contra qualemcunque inflammationem oris, gutturis, et maxillarum cum dolore dentium, &c. conservando in ore frustillum donec liquescat: hoc modo liquidos facit, et attenuat humores crassos, qui exspuuntur cum saliva. Etiam bibitur sicut Thée ordinarium, liquefactum in modica quantitate, in aqua servente. Servit etiam contra phlegma, diminuit dolores capitis, et oculorum; expellit somnolentiam; provocat urinam; mollificat ventrem; curat sanatve scabiem, plagas, adustiones, &c.

Porro mitto *Medicinales petras, globulos, et Tabellas confectas ex* Porco espinho a), *Lusitanice.* Germ. *Stachelschwein.* In India sunt multo maiores, quam in Germania, et propter pastum alterius virtutis. Hac tabellae praecipue componuntur ex stomacho, vel ventriculo dicti animalis, exsiccato, et in pulverem redacto, cui adduntur variae aliae medicinales res, praecipue radix arbusti *Calambá* dicti. Omnia rediguntur in massam cum extracto absinthii. Remedium hoc plurimum valet contra morbos procedentes ex debilitate et frigore stomachi, contra indigestiones, obstructiones et dolores ventris, fabres

a) Hystrix dorsata *Linn.*

febres intermittentes diuturnas, anxias, calores suffocantes, vertigines, convulsiones hystericas. Optimum est in principio hydrophobiae, et in accidentibus aëris cum defectu respirationis et sensibilitatis. Sumitur in quantitate mediae octavae (semidrachmae) in vino, aut aqua Theana.

III.

Alia Epistola Rev. Johannis Loureyro.

Vlyssipone, 26 *Junii*, 1791.

Clarissime, ac Colendissime Domine!

Literis Tuis ad me benigne datis aegre distuli rescribere. Laborabat iam tunc sub prelo *Flora* mea *Cochinchinensis*, sperabamque brevi finiendam, ac Tibi mittendam, prout grato animo promiseram. Sed me fefellit nimia mora in officina typographica Academiae nostrae Vlyssiponensis, biennium insumens, priusquam in lucem ederetur, editaeque Florae exemplaria sic adhuc Auctori negabantur, ut nondum compos fierem mea distribuendi. Longum foret, nec juvat acta referre: unum dicam, me contentionum pertaesum nec de rebus Academicis amplius curare, nec de quibuslibet aliis scientificis, quae longo tempore, magnoque conatu in adversaria collegeram. Aetas mea plus quam septuagenaria, ac tam animi quam corporis aegritudines serio admonent, ut de brevitate vitae, potiusque de aeterna, totus cogitem.

Libros de Scientia naturali, et Historia, quos mihi dono misisti, simul cum Literis, gratus accepi, proque acceptis gratias ago. Tradidi R. D. *Laurentio Kaulen* quidquid illi consignasti. Vivit adhuc bonus iste Vir, verus Israelita; sed ita aegre vivit, ut vix possit e lecto pedem efferre.

Hanc meam epistolam Tibi sedulo mittendam commisi honesto viro, qui hinc Rothomagum Galliae iter parat, inde-

indeque in Helvetiam, patriam suam. Huic pariter commisi, Tibique offero exemplar unum *Florae* meae *Cochinchinensis*, binaque Volumina eruditionis Arabicae recenter in Lusitaniam translatae *a*).

Libros Sinenses, quos habere optabas, non potui in Lusitania reperire, quod apud Sinas difficile non esset. Paucos antea illic commoratus possedi, sed in reditu meo demisi, quia in Europam transportandi facultas non erat.

Vale, Clarissime Domine, Tibique obsequuturus maneo, licet votis magis paratus, quam viribus

devotissimus cultor

Joannes de Loureiro.

Commemorati a *Joh. de Loureiro* libri fuere sequentes:

P. *Prosperi Intorcettae*, S. I. Sinarum scientia politico-moralis, cum characteribus sinicis, et versione latina. In Vrbe *Kangtscheu*, 1667. fol. et Goae, eod. a. in fol. Vid. *Lambecii* Commentarii de Caesar. Biblioth. Vindob. L. VII, p. 349.

Novum Testamentum Japonice, in Vrbe Miaco impressum a Soc. Jesu, ante a. 1613. in fol. min.

Ra cu yo xu, s. Dictionarium Japonicum. In medio tituli sunt insignia Lusitanica, infra quae legitur latine: *In Collegio Japonico Nagosaccano Societatis Jesu, cum facultate superiorum*, Anno MDXCVIII. fol. min. Mentionem huius libri fecit Cel. *Thunberg*, Itinerum tomo II, Parte 2, (versionis germ. Berolin. p. 44.) quem postea in litteris 1795 certiorem reddidi, esse istud Lexicon in Bibliotheca Reip. Gallicae *b*).

IV.

a) Fr. *Joaõ de Sousa* Vestigios da Lingua arabica em Portugal. Lisbòa, 1789. et Documentos arabigos. 4.

b) Catal. Biblioth. Paris. n. 381. ap. *Fourmont* Gram. sin. p. 503.

IV.

Notitiae Cochinchinenses.

In Regnis *Tunquini* et *Cochinchinae* obtinet Lingua *Annamitica*, ut et in regno Cau bàng. Omnes utuntur characteribus Sinensium, diverso tamen scripturae modo, *Japonico* consimili.

Tunquinenses in sua lingua nostras omnes exprimunt litteras, excepto uno *z*.

Tôi, *ego*; mày, *tu*; nó, *ille*.

Tôi yêo, *ego amo*; mày yêo, *tu amas*, &c.

Numerales.

1. nhít, môt.
2. hai.
3. tang, ba.
4. bôn.
5. lang.
6. luç, saú.
7. báy, thát.
8. táng.
9. dschin.
10. muòi.
11. muòi môt.
12. muòi hai.
13. muòi táng.
14. muòi bôn.
15. muòi lang.
16. muòi saú.
17. muòi báy.
18. muòi táng.
19. muòi tschin.
20. hai muòi.
21. hai muòi môt.
30. ba muòi.
40. bôn muòi.
50. lang muòi.
60. saú muòi.
70. báy muòi.
80. táng muòi.
90. dschin muòi.
100. tlam, môtlam.
150. môtlam ruòi.
500. nang tlang.
1000. nghin.
5000. nang nghín.
10000. muôn.

primus, thú nhít.
secundus, thú hai.
tertius, taú ba.
quartus, thú bôn.
quintus, thú lang.
sextus, thú saú.
septimus, thú bay.
octavus, thú táng.
nonus, thú dschin.
decimus, thú muòi.
undecimus, thú muòi môt.
duodecimus, thú muòi hài.

Plura

Plura dabo in *Bibliotheca* mea *glottica universali.* Vid. *Alexandri de Rhodes*, S. I. Dictionarium Annamiticum, Lusitanum et Latinum. Romae, 1651. 4. Eod. anno ibidem prodiit Catechismus pro iis, qui volunt suscipere Baptismum, in octo dies divisus, ac Latina et Tunchinensi i. e. annamitica lingua distinctus. 4. En specimen ex rarissimo hocce libro linguae *annamiticae.*

Pag. 5. Phép giáng tam ngày. Ngày thứ' nhít. *Catechismus divisus in octo dies. Dies primus.*

Ta cáu cũ dứ'c Chúa blò'i giúpsứ'c cho ta biét rõ tu'ảng dao Chúa là nhu'ảng naò.

Suppliciter petamus ab optimo Caeli Domino, ut adjuvet nos ad hoc, ut intelligamus probe Domini legem.

vì bậy ta phải hai ó' thẻ nả'y cháng có ai soũ láu;

intelligendum autem ad hoc est, neminem esse in hoc speculo, qui diu vivat;

vì chu'ng ké dện báy tám mu'o'i tuẻi cháng cò nhẽo;

nam vix pertingitur ad septuagesimum aut octogesimum aetatis annum:

vì bảy ta nên tìm dàng nào cho ta du'o'c soũ láu,

igitur quaerendus est a nobis modus, ut possimus diu vivere,

là kiém hàng sóu bảy;

hoc est, vitam sempiternam adipisci; rel.

Dialecti

Dialecti Linguae *annamaticae* sunt in regno *Lao*, Sinis *Lao-tschua*, et in *Ciampa*, regione australi *Cotschin-tschinae* sive *Cotschin-sinae*, id est, *Sinae occidentalis*. *Cambodschae* regnum annamitice *Cao mién* adpellatur.

Alexander de Rhodes, Avenionensis, cum socio suo *Petro Marchez*, e regno Tunquinensi (ubi 1634 ultra 30000 Christiani numerabantur) expulsus, circa 1631 *Cochinchinensem* Missionem adornavit, postea vero exsilire cogebatur, trucidato neophyta *Andrea Cochinchinensi*.

Vid. eius *Relazione della gloriosissima morte del Neofito* Andrea *Cocincinese, decollato per la S. Fede.* In Roma, 1652. 8. *Gallice: Relation de tout ce qui se passa à la Cochinchine; à Paris*, 1653. 8. *Histoire de ses Voyages depuis* 1618 *jusqu' a l'année* 1653. 4.

Cochinchinensia quoque occurrunt in libro: *Relation des choses de la Mission de la Compagnie de Jesus au Japon en* 1649. *à Paris*, 1655. 8.

Hieronymus Majorica, *Christophorus Borro*, atque *Johannes Philippus de Marini* continuavere Missionariorum labores. P. *Majorica* scripsit ultra 48 tractatus theologicos in lingua annamitica, qui commemorantur in Catalogo Biblioth. Parif. n. 140—153.

Cristoforo Borro *Relazione della nuova Missione de' Padri della Compagnia di Giesu nel Regno di* Cocincina. *Roma*,

Roma, 1631. 8. *Gallice*, à Rennes, 1631. 8. *Germanice*, Wien, 1633. 8.

Relazione de' felici successi della S. Fede predicata da' Padri della Compagnia di Giesu nel Regno del Tunchino; Roma, 1650. 4. *Gallice*, à Lyon, 1651. 4. *Latine*, ibid. 1652. 4.

Delle Missioni de' Padri della Compagnia di Giesu nel Regno del Tunchino. Roma, 1663. 4. Venez. 1665. 12. 2 Vol. *Gallice*, à Paris, 1666. 4.

P. *Horta* Lettres sur la Cochinchine; *Lettres édifiantes*. à Paris 1773. *Drey Schreiben eines gebornen Schlesiers an einen seiner Freunde in Deutschland* (P. Bonschab) Augsb. 1781. 8. pag. 23.

Indefessus Missionarius *Horta* a. 1768 in carcere obiit. Jam antea P. *Gasparus Crüz*, Juliacensis, capite plexus fuit, Mandarinorum *Cochinchinensium* persecutione.

Dum haec scribo, adfertur Augusta Vindelicorum amicissimi Dom. *Eckarti* epistola, qua me docet, meliorem fore *Christianorum* conditionem in regno *Cochinchinae*.

E novissima Relatione Madritensi, 6ta Aprilis,
1803.

Mexicani memorant, se Philippinis ab Insulis nuncium accepisse, iniustum Regni *Tunquinensis* possessorem adversus legitimum Regem, qui modo ad Regni *Cochinchinensis*

chinensis guberhacula sedet, bellum movisse, navali autem proelio ita esse prostratum, ut omnia plane navigia amiserit, et campestri insuper in pugna magnam fuerit cladem perpessus. Strages isthaec Missionariis summopere favet: etenim Vsurpator iste *Tunquini*, hostis rei *Christianae* longe acerrimus, se Religionem orthodoxam, suis in confinibus florentem, intra triennium penitus exstirpaturum, sacramento sese obstrinxerat.

Pag. 94. lin. penult. l. num. IV.

Index Capitum.

Caput



